Foss, Bernhard.

DE LOCO IN QVO PROMETHEVS APVD AESCHYLVM VINCTVS SIT

SCRIPSIT

BERNHARDVS FOSS

ACCEDIT TABVLA LITHOGRAPHICA

BONNAE

APVD MAX COHEN ET FILIVM

CIƆIƆCCCLXII.

DE LOCO IN QVO PROMETHEVS APVD AESCHYLVM VINCTVS SIT

SCRIPSIT

BERNHARDVS FOSS

ACCEDIT TABVLA LITHOGRAPHICA

BONNAE
APVD MAX COHEN ET FILIVM
CIƆIƆCCCLXII.

1871, Oct. 14.
Salisbury Fund.

EDVARDO FOSSIO

PATRI CARISSIMO

FRIDERICO RITSCHELIO

OTTONI IAHNIO

PRAECEPTORIBVS SVMME VENERANDIS

PIETATIS CAVSSA.

Τῶν δ' εἴ τί σοι ψελλόν τε καὶ δυσεύρετον,
ἐπανδίπλαζε καὶ σαφῶς ἐκμάνθανε.

His uerbis [1]) Prometheus postquam Ioni uaticinatus est, quas terras esset peruagatura, promittit se illam, si quid in hac itineris descriptione minus intellexerit, accuratius esse docturum. At illi quidem, quoniam nihil interrogat, omnia plana atque aperta esse uidentur. Multo uero magis interpretes Aeschyli de Ionis uia omnibus temporibus dubitauerunt. Etenim quamuis plurimi doctissimique uiri in hanc rem etiam atque etiam summo studio summaque diligentia inquisiuerint, nondum tamen id, quod Prometheus uirgini pollicitus est, ita assecuti sunt, ut quaestionem ad liquidum perducerent. Nam ne de loco quidem, a quo illa errorum descriptio ordiatur, id est, in quo Prometheus uinctus sit, quamquam hoc ad tragoediam recte intellegendam maximi est momenti, uiri docti consentiunt, sed in diuersissimas partes discesserunt. Qua de re item ueteres grammaticos disputasse, cum alii in Caucaso, alii in Europa ad Oceani litus fabulam agi statuerent, ex Medicei codicis argumentis intellegimus. Sed inde a Byzantinorum memoria prior opinio propter uulgarem Promethei fabulam ita praeualuit, ut uix unus alterue Aeschyli interpres scholiastam secutus alteram commemoraret. Schuetzius demum in commentario ad Aeschylum I, p. 9 multis argumentis demonstrare studuit Prometheum non in Caucaso, sed ad rupem quandam

1) Aesch. Prom. uu. 815 et 816. In uersibus ex Aeschyli tragoediis nobis seruatis commemorandis Dindorfi, in fragmentis autem Naucki numeros sequar.

in desertis Scythiae partibus affixum esse ita quidem, ut Pontum Euxinum in conspectu habeat. Sin uero aliis magis placuerit scaenam Promethei uincti uersus Oceanum poni, ipse fatetur se eis non pertinacius esse repugnaturum. Quae disputatio non modo summa uirorum doctorum studia ad hanc quaestionem tractandam excitauit, uerum etiam omnibus posterioribus commentationibus fines descripsit. Nam primum non deerant, qui priorem opinionem a Schuetzio refutatam defenderent: e quibus Welckerus quidem partem Caucasi non accuratius terminauit, Hermannus Reinganum uero de ea cogitauit, quae ad Pontum Euxinum uergit: Klausenius contra sibi persuasit Caucasum de Aeschyli sententia in extremis regionibus orientalibus iacere eiusque in collibus australibus non procul ab Oceano Prometheum pendere. Inter relicuos autem, qui Schuetzi uestigia presserunt, Reisigius scaenam ad ipsos Asiae fines, Voelckerus in Maeotidis ora, Hochius Butlerusque in Ponti litore septentrionali, Hermannus in media terra supra Istrum posuit; Iacobsius denique locum certo definire non audet. Illam uero sententiam, quam Schuetzius non plane reiecit, ante eum autem Stanleius defendit, Bellmannus et Schoemannus amplexi sunt, quorum prior quidem satis habuit affirmare fabulam in Oceani uicinia agi, alter uero Aeschylum putauit de ea litoris parte cogitasse, quae inter occasum solis et septentriones spectaret. Blomfieldius denique et Forbiger plane desperauerunt hac in re certi quicquam statui posse. Tot igitur sententiae de loco, in quo Prometheus apud Aeschylum uinctus sit, cum exstent, nulla tamen mihi, cum oblata aliquando occasione quaererem, quae uera esset, plane probata est. Quam ob rem, ubi primum Meyeri commentatio de hac ipsa quaestione Bonnae proximo anno prodiit, eam summo ardore perlegi; sed paucis tantum de rebus cum scriptore consentire potui. Quoniam igitur multae dubitationes mihi relictae sunt, Promethei uerba supra commemorata hanc mihi veniam esse datura spero, ut huius rei, de qua tot uiri docti disseruerunt, iterum tractandae periculum facere liceat: atque si in hac

difficillima quaestione aliquid ad uerum intellegendum attulero, oleam operamque non perdidisse mihi videbor.

Attamen ne nimis longa commentatio fiat, ego pariter ac Meyerus in ea quaestione me continebo, *quo in loco Prometheus apud Aeschylum uinctus sit,* atque de sententiis, quas Aeschylus de orbe terrarum habuerit, deque erroribus Ionis eatenus disputabo, quatenus ad hanc quaestionem diiudicandam necessarium erit: de posteriore autem errorum parte, de qua propter magnam illam lacunam post uersum 792 aliasque ob caussas iudicium difficillimum est, meam opinionem in tabula huic commentationi adiecta indicabo.

Cum uero uiri docti idcirco tantopere inter se dissentiant, quod diuersa arte ac ratione uerum reperire studuerunt, equidem, priusquam ad rem ipsam transeo, ut mihi ipsi disputandi uiam muniam, paucis uidebo, qua ratione ei, qui ante me hac de re scripserunt [1]), processerint.

Plerique immemores eorum, quae Agatharchides [2]) monet, *οὐδ' Αἰσχύλον ἐπιπλήττω πολλοῖς διεψευσμένον καὶ πολλὰ συγγράφοντα τῶν ἀσυγχωρήτων*, uerum locorum situm omnis disputationis ducem sibi sumpserunt, ita ut ea, quae cum illo pugnarent, aut artificiosissima ratione explicarent aut audacissimis coniecturis remouerent. Priorem uiam Welckerus [3]),

1) Quibus in enumerandis praeteribo cum antiquiores, qui quae idonea praebuerunt, a posterioribus exhausta sunt, tum recentiores, qui leuiter nullis argumentis allatis hanc rem tetigerunt. Inter priores autem nominandi sunt:

Heathius in lectionibus ad Aeschylum p. 14.

Waltherus de catabathmo in animadu. hist. et crit. p. 32 Leucopetr. 1748.

Commentatio *l'éclaircissemens historiques et géographiques sur les courses d'Io* in Aeschyli uersione francogallica Parisiis 1770 edita, quae mihi in promptu non fuit.

Vossius in epistolis mythol. II. ep. 17 et 18; denique

Pauwius, Stanleius, alii in adnotationibus ad uersum 1 Promethei.

2) Apud Phot. Bibl. p. 444 ed. Bekk.

3) In trilog. Aeschyl. p. 32 sqq., p. 139 sqq., in append. p. 59—62.

eiusque sectator Reinganum[1]), Klausenius[2]), Schuetzius[3]), Voelckerus[4]) ingressi sunt et exceptis Schuetzio et Voelckero praeterea Prometheum ad Caucasum alligatum esse externis caussis sibi persuaserunt. Qui quibus interpretandi artificiis propter illas opiniones uti fuerint coacti, paucis exemplis demonstrabo. Etenim cum Io peracto demum magno itineris spatio ad Caucasum uentura esse apertis uerbis u. 719 dicatur, statuere illis erat necesse Prometheum uirgini sine ulla caussa longissimas ambages imperasse. Atque, cum illa prius ad Caucasum quam ad Bosporum Cimmerium accedat, hoc uero supperato Europam relinquat et Asiam intret [uu. 719—735], — quae omnium interpretum maxima erat crux, — Welckerus Reinganumque eam circum totum Pontum Euxinum ducunt, quae tamen longissima uia a poeta ne uno quidem uerbo commemorata est: Schuetzius uero et Klausenius propter illam difficultatem uersum λιποῦσα δ' Εὐρώπης πέδον ἤπειρον ἥξεις Ἀσιάδα [u. 734] non ad uerba proxime antecedentia, in quibus Io fretum Maeoticum transgredi iubetur, respicere, sed Bosporum Thracium eis significari sibi persuaserunt, quamuis neque de hoc freto nobis cogitandum esse neque illud iter a Maeotide usque ad Propontidem haud quaquam parui spati ab Ione confectum esse ulla uoce indicetur. Vnde autem spectatores scire poterant Ionem esse longe progressam, nisi hoc dictum erat? An Aeschylum credideris eum fuisse poetam, qui, quae ad tragoedias intellegendas necessaria essent, omitteret?

Neque melior Voelckeri ratio est, qui illam difficultatem, quam Caucasi situs nobis affert, ita sustulisse sibi uisus est,

1) Reinganum, qui in Iahni Annalibus a. 1828 t. VIII 3, 325 sqq. illius libri Welckeri censuram scripsit, nibil fere aliud quam illius sententias rettulit atque paullo accuratius descripsit.

2) In Museo Rhen. a. 1829. t. III, p. 293—323.

3) In comment. ad Aeschyl. I, p. 9, p. 170—178.

4) Voelckerus de Ionis erroribus iustum librum 231 paginarum, qui *Die mythische Geographie der Griechen und Roemer part. I.* inscribitur, Lipsiae a. 1832 publici iuris fecit.

ut censeret de transitu Bospori Cimmerii poetam non suo loco, sed, postquam ad aliam itineris partem perrexisset, occasione demum oblata esse locutum, atque hanc artificiosissimam interpretationem non semel, sed ter[1]) sibi indulsit. Sed quis auditorum intellegere poterat regionem aliquam, quae suo loco silentio praetermissa esset, multo posterius commemorari, nisi hoc fieri apertis uerbis erat indicatum? Quae uero caussa fuerit, cur Aeschylus a simplici narratione recederet, Voelckerus dicere non potest. Atque si haec tibi nondum satis grauia uidentur, considera aut infelicissimam eius uel potius Heathi coniecturam de Salmydesso[2]) aut quid e uerbis *αὗταί σ'ὁδηγήσουσι καὶ μάλ' ἀσμένως* [u. 728] concluserit[3]): quod utrumque Hermannus[4]) perbene redarguit. Quae omnia cum ab iusta atque simplici interpretandi ratione abhorreant, satis demonstratum esse puto praecipuis illorum uirorum doctorum argumentis refutatis opus non esse omnes eorum sententias singillatim perstringere. Nam quamuis summa industria atque doctrina in hac re uersati sint, ad falsum tamen exitum uenirent oportebat, quod mea quidem sententia peruerso fundamento disputationem fulciebant. Etenim tantum abest, ut Aeschylum de remotis regionibus nusquam falsa tradidisse putem, ut, si factum esset, ualde demiraturus essem. Quamobrem non e uero locorum situ, sed ex ipsis Aeschyli uerbis opiniones poetae inuestigandae sunt.

Non minores igitur dubitationes ea uia mouet, qua difficultates audacissimis coniecturis tolluntur uel potius ense dissecantur. Quod fecerunt Reisigius[5]), Hochius[6]), Meyerus[7]), qui

1) Nam Phasidis quoque falso loco mentionem esse factam in libro modo commemorato p. 226 nec minus Gorgonum Arimasporumque ibid. p. 227 statuit.

2) Ibid. p. 203.

3) Ibid. p. 224.

4) In Iahni annalibus a. 1832. t. IIII, 3. p. 292 et p. 297.

5) Reisigi coniectura, quam miror omnibus fere uiris doctis, qui hac de re scripserunt, plane ignotam fuisse, in apparatu critico ad Aeschylum praef. p. XXV. proposita est.

Aeschylo magnis uersuum translationibus succurrendum esse putarunt. Sed in his rebus geographicis si qui nullis aliis argumentis quam uera locorum condicione ceterorumue ueterum testimoniis nixi coniecturis scriptorem aliquem erroribus liberant, summum est periculum, ne hunc ipsum, non librarios corrigant, nisi eum sibi ipsum contradicere demonstrauerint, id quod nemo illorum praestitit. Attamen de eorum sententiis suo loco dicendum erit. De ceteris autem rebus, quae ex his translationibus non pendent, Reisigius omnino agere noluit, Hochius non multo plus, quam ipsa Aeschyli uerba praebet. Meyerus uero, qui totam quaestionem ad finem perducere uoluit, multa quidem collegit atque perbono indicio de eis disputauit, sed uereor, ne plura, quae ad illam diiudicandam necessaria sunt, silentio praetermiserit. Atque quamquam in uniuersum ab Aeschyli uerbis orsus est, tamen cetera ueterum testimonia statim ita intermiscuit, ut sincerum iudicium ei esse nequiret. Quod ut demonstrem, unum afferam exemplum. Scytharum enim Nomadum sedes pag. 26 non ex Aeschyli uerbis, sed ex solo Herodoto definit[1]), quamquam non modo hic unus scriptor est, qui certum discrimen inter illas gentes septentrionales facit, sed etiam in tota Scythia de Aeschyli sententia determinanda Meyerus ipse pag. 25 negat eorum, quae Herodotus tradit, rationem esse habendam.

Cum uiri docti modo commemorati Aeschylum rerum geographicarum peritiorem, quam erat, ducerent, Forbiger et Blomfieldius in sententiam plane contrariam abierunt. Etenim hic[2]) *„De Ius erroribus"*, ait, *„multa multi, ut solent, scri-*

---

6) Hochius Ascaniae anno 1835 programma Versuch einer Darstellung der Irren der Jo nullo alio consilio scripsit, quam ut Reisigi coniecturam efferret ac defenderet.

7) *Aeschyli Prometheus uinctus quo in loco agi uideantur* dissertatio inauguralis proximo anno Bonnae edita.

1) De hac quaestione ipsa uide, quae ego cum alias tum p. 30 et 35 sq. disputabo.

2) Aesch. Prometh. p. 60.

pserunt, quorum non nostrum est lites componere neque id fecisse operae pretium fuerit: satis enim manifestum est Aeschylum suam geographiam suamque mythologiam easque parum accuratas habuisse.“ Quid uero? Si Aeschylus propriam suam, non uulgarem geographiam secutus est, nonne idcirco, qui poetam intellegere uult, is eam cognoscat oportet? Omnino enim in ueteri geographia non tantopere, quae uera fuerit locorum condicio, nostra interest scire, sed quae unoquoque tempore tanquam uera circumlata sit. Forbiger [1]) uero putat Aeschylum, qui neque certam terrarum imaginem ante oculos habuerit neque uulgatas illis temporibus sententias secutus sit, non modo, quae septentrionalium gentium locorumque nomina essent nota, ea temere composuisse, uerum etiam noua finxisse, id quod poetae in rebus mythicis licuerit. Sed quamquam equidem poetam multum studi in geographia ediscenda posuisse uel tabulam sibi pinxisse [2]) haud quaquam puto, nemo tamen ullum iter describere potest, nisi qui regionis, per quam illud fit, certam imaginem siue falsam illam siue ueram animo finxit: quae qualis Aeschylo de regionibus septentrionalibus fuerit, cognoscere sine dubio operae est pretium. Deinde uero, etiamsi poetae in eis, quae, sicut Gorgones, non nisi fabulis continentur, maiorem licentiam fuisse concedo, tamen non uideo, quid Aeschylum impulerit, ut ab eis, quae uulgo credebantur, temere recederet. Immo vero, cum illis temporibus mythus uerus haberetur, poeta, si quicquam sine caussa mutasset aut finxisset [3]), sibi ipse fidem abrogasset.

Rectam igitur talium quaestionum tractandarum normam Hermannus, qui ipse de loco, in quo Prometheus uinctus

---

1) Compend. geogr. I, p. 33.

2) Hoc Voelckerus exploratum habuit.

3) Plane aliter uidelicet Sicklerus censet, qui in compend. geogr. praef. p. XV haec dicit: Fast moechte man die Irren der Kuh (!) Jo fuer eine Parodie (sic!) der homerischen Irrzuege und mehr noch aller der Imitationen derselben halten, welche die Sucht nach dem Abentheuerlichen bis auf Aeschylus herab zum Vorschein gebracht hatte.

esset, deque Ionis erroribus saepius[1]) disseruit, indicasse mihi uidetur, cum diceret[2]):

„*Ac primo per se patet omnem explicandi conatum inanem esse, qui non ab iusta interpretatione uerborum proficiscatur. Deinde in locorum designationibus illud curandum est, ne uel minorem uel maiorem, quam credi possit, scientiam illis, qui interpretandi sunt, scriptoribus tribuamus. Nam quae ita sunt comparata, ut ridiculi fuissent aequalibus suis, si nesciuissent, quae omnes sciebant, ea stultum est iis imputare. Contra uero, in quam partem multo saepius peccatur, cautissime ea, quae relata legimus, ad ueros locorum situs aut ad eos, quos illorum scriptorum aeuo probauerint geographi, exigenda sunt et iudicanda*“. Quamobrem Hermannus, quo erat ingeni acumine, omnes sententias, quae falsa interpretandi ratione nitebantur, rectissime atque certissime refutauit neque tamen in eis, quae ipse statuit, illas leges a se datas mea quidem sententia cum eadem diligentia obseruauit. Velut quamquam poetam Tauricae paeninsulae tam accuratam notitiam habuisse putat, ut isthmum inter Carcinitam sinum et Maeotim cognouisset[3]), qui ne Herodoto quidem notus erat[4]), tamen in eo non offendit, quod Aeschylus Salmydessum Thraciae sinum multo notiorem prope a Thermodonte flumine iacere putauit uel in eadem trilogia et Bosporum Cimmerium et Phasim, quem suo loco non mouerit, Asiae Europaeque terminum nominauit. De multis autem rebus, uelut de Caucaso, certius quicquam statuere non audet.

---

1) Primum in obseruatt. critic. in quosdam locos Aesch. et Eurip. cap. 2, p. 26—27, tum in censura trilogiae Welckeri in diurnis litt. Lipsiens. a. 1825. I, p. 7—13, tum in dissertatione de Aeschyli Prometheo soluto p. 11—13 (opusc. t. IIII, p. 262—264), tum in Iahni annalibus a. 1832, t. IIII 3, p. 275—305, ubi Voelckeri librum examinauit, denique in editione sua Aeschyli II, p. 152—165.

2) Aeschyl. II, p. 152.

3) Qua in re Hermannum errasse p. 28 adn. 1 demonstrare studebo.

4) Vid. Herod. IIII, 99.

Quae omnia inde puto esse orta, quod, unde errores Aeschyli fluxissent, non quaesiuit. Neque minus hac re explicatur, cur uel de eis, quae Hermannus recte disputauit, uiri docti tantopere dubitauerint. Atque haec, quae modo de Hermanno dixi, magis minusue in ceteros quoque cadunt, qui eandem ueri inquirendi uiam ingressi sunt. Inter quos mihi primus Iacobsius [1]) nominandus est, non quod multa eorum, quae ad nostram quaestionem pertinent, collegerit — nam Aeschyli tantum sententiam perbreuiter nullis argumentis allatis, optimo autem iudicio descripsit — sed quod unus [2]) est, qui Caucasum putauit supra Maeotim ab Aeschylo positum esse, id quod me certis argumentis spero infra esse confirmaturum. Schirlitzius [3]) deinde, qui item de tota quaestione paucis disputat, maiore ex parte Hermanni sententiam secutus est tabulaque picta illustrauit. Schoemannus [4]) denique, cuius paruam quidem, sed egregiam commentationem summa cum uoluptate perlegi, maxime quidem laudandus est, quod ipso Aeschylo duce omnem disputationem explicauit, sed cum aliorum scriptorum testimonia uerumque locorum situm nusquam fere respiceret, pariter atque Hermannus non modo magnas de sententia sua dubitationes reliquit, sed etiam ipse multis in rebus incertus est. Quod ut uno exemplo ostendam, de Caucaso p. 319 haec dicit: Freilich aber stellte er sich dabei den Caucasus *schwerlich* in seiner Lage zwischen dem schwarzen und kaspischen Meer, sondern nordwaerts ueber jenem vor.

Iam uero unus Bellmannus [5]) relicuus est, quem ultimo

---

1) In Museo Attico III, p. 352 atque in diurnis litt. Ienens. a. 1804 n. 113.

2) Nam Schoemannus, qui idem censet, pro certo tamen id affirmare non audet.

3) In additamentis ad compendium geographicum.

4) Aeschyli Prometh. p. 316—322.

5) In libro *de Aeschyli ternione Prometheo* inscripto et Vratislauiae a. 1839 edito inde a p. 135—150, quem Meyerus non inique monstruosum nominat.

loco commemorare coactus sum, cum equidem propter obscuritatem et rerum et sermonis neque intellegam, quid ille dicere uelit, — atque scriptorem ipsum hoc nesciuisse mihi persuasum est — neque sciam, cui illarum classium a me modo positarum adnumerandus sit. Atque qui ea perlegerit, quae pag. 139 dicta sunt: „*Atque antea ad orientem conuersa* (uu. 707 sq. *ἡλίου πρὸς ἀντολάς — στρέψασα αὑτήν*) *nunc incipit ea ad austrum uergere* (uu. 722 sq. *εἰς μεσημβρινὴν — κέλευθον*), *ut ad Amazones perueniat*, *quas* ***Asiae*** *Colchidis esse dixit chorus* uu. 420 sq. coll. uu. 415 sq.[1]). *Nec tamen quicquam impedit, quin has quoque regina ab parte Europaea attigerit, dum fretum, quod in paludem Maeotida ducit (bosporum Cimmerium αὐλῶνα Μαιωτικόν, στενοπόρους λίμνης πύλας) traiiceret* uu. 729 sq. „*Quibus notatis illico Aeschylus transitum in Asiam parat* uu. 784 sq.“ haec igitur qui perlegerit, mihi uitio non uertet, quod huius uiri nusquam in commentatione mentionem faciam.

Quamobrem cum uiderimus plerosque eorum, qui in quaestione nostra uersati sint, ideo non ad rectum disputationis exitum peruenisse, quod non a iusta et simplici interpretatione uerborum Aeschyli, sed magis minusue a uero locorum situ atque ab eis, quae relicui scriptores ueteres tradunt, profecti sunt, alios uero sententias suas probabiles reddere non potuisse, cum, quomodo poeta in suam de septentrionalibus regionibus opinionem incidisset, non explicassent: equidem hanc uiam disputationis ingrediar, ut primum uideam, quam sententiam de loco, in quo fabula agatur, quamque terrarum imaginem ex sola Prometheo uincto accipiamus, deinde quibus in rebus haec cum aliis Aeschyli locis et ceterorum scriptorum testimoniis ueroque locorum situ consentiat aut pugnet, et quae discrepantiae caussae cogitari possint, denique quae argumenta aliunde contra sententiam hac uia ortam prolata et quae pro ea dicenda sint.

---

1) Plane contrarium hoc loco dicitur: uide infra p. 20 sq.

Quoniam igitur periculum faciam demonstrandi, quid poetam in eos errores, quibus eum teneri uidebimus, induxerit, in praefatione ultimo loco nobis quaerendum est, unde Aeschylus et Athenienses illis temporibus notitiam regionum aquiloni subiectarum acceperint. Poetarum antiquissimorum Homerus quidem de his terris nihil neque multo plura Hesiodus tradit. Aristeas uero Proconnesius, qui usque ad Issedonas gentem ad Norossum montem [suedlicher Ural] habitantem [1]) se peruenisse non falso, ut uidetur, gloriatus est, carmen, quod Arimaspia inscribebatur, de populis in septentriones spectantibus composuit [2]). Quod Aeschylum nouisse atque secutum esse intelleges, si Herodoti caput tertium decimum libri IIII cum Promethei uincti uersibus 802—807 comparaueris. Inter scriptores uero pedestris sermonis ante Aeschylum unus Hecataeus Milesius regiones Ponticas breuiter attigit, neque tamen propter paucitatem fragmentorum ad Prometheum explicandam multum ex eo lucramur. Neque minus dubitare licet, num Hecataeus tunc Athenis tam notus fuerit, ut Aeschylus eum respiceret necesse esset. Primus autem terras a Ponto Euxino ad septentriones uergentes a se ipso perlustratas [3]) Herodotus accuratissime descripsit falsasque de eis sententias refellit, ita ut Aeschylum saepius errasse nihil admirationis habeat. Nam ne Herodotum quidem falsis opinionibus plane carere cum alia ostendunt tum ea, quae ille de Taurica paeninsula cap. 99 libri IIII, de forma Scythiae cap. 101, de Maeotidis amplitudine cap. 86 dicit. Qua re et Herodotus et posteriores scriptores, ubi pristinas opiniones aut tenuerunt aut rettulerunt, multa afferunt, e quibus, quid Aeschylus arbitratus sit, intellegere possimus.

Plurimum autem ad orbis terrarum imaginem informandam apud uulgus sine dubio ualebant nuntii et rumores, quos nautae e remotis coloniis Athenas referebant. Aeschyli uero

1) Herod. IIII, 26.
2) Ib. 13—16.
3) Ib. 81. alias.

aetate in Scythia a Graecis haec condita erant oppida: Istria ad ostium Istri[1], Borysthenis siue Olbia ad Hypanis Borysthenisque confluuium[2], Carcinitis ad sinum Carcinitam[3], Cremni in Europaeo litore Maeotidis supra Tauricam paeninsulam[4], Gelonus urbs in ea regione, quae nunc Saratow uocatur[5]: quibus oppidis uia mercatorum demonstratur. Illi enim Olbia ad Tanaim proficiscebantur, deinde uero eius atque Rha fluminis cursum diu secuti ad Norossum montem se conuertebant[6]. Qua re etiam explicatur, cur uel Herodoti narrationes de remotis populis in aquilonis partibus sitis, qui huic uiae adiacebant, accuratiores uerioresque sint, quam de propinquiore Taurica paeninsula. Errat igitur Meyerus, cum pag. 15 omnes Ponti Euxini oras a Graecis habitatas et multiplici commercio coniunctas illis temporibus notissimas fuisse dicit. Quae opinio cum de occidentali litoris parte *paene*[7] uera sit, de orientali tamen falsissima est[8], quod in Aeschylo explicando non parui est momenti. Quibus expositis iam ad instituta pergamus.

---

1) Herod. II, 33.

2) Herod. IIII, 17.

3) Ib. 55 et 99.

4) Ib. 110.

5) Ib. 108.

6) Hoc ex Herodoti cap. 23 et 24 libri IIII elucet: *καὶ γὰρ Σκυθέων τινὲς ἀπικνέονται ἐς αὐτοὺς (φαλακροὺς) τῶν οὐ χαλεπόν ἐστι πυθέσθαι καὶ Ἑλλήνων τῶν ἐκ Βορυσθένεός τε ἐμπορίου καὶ τῶν ἄλλων Ποντικῶν ἐμπορίων.*

7) Velut Herodotus in Istro flumine ualde errauit; confer Niebuhr. opusc. phil. et hist. I, p. 156 sq. 356 sqq.

8) Confer locos, quos pag. 11 u. 25 sq. commemoraui.

Caput I.

Cum mihi primo loco propositum sit quaerere, *quid ex sola Prometheo uincto iuste simpliciterque explicata de loco, in quo fabula agatur, concludendum sit,* hanc quoque disputationem tripartitam faciam. Etenim primum considerabimus, *qualis* locus describatur, deinde quae *regio* indicata sit, denique quae ex *Ionis erroribus* colligere possimus.

Ad faciem loci describendam Aeschylus uocem φάραγξ quater (uu. 15. 140. 618. 1015.) adhibuit. Haec uero uox, quae plane uernaculo uerbo *Schlucht* respondet, cum saxa angustam uallem includentia tum uallem ipsam significat [1]). Prometheus igitur in faucibus uinctus est, ut neque aspicere quisquam eum neque adire facile possit. Saxa autem, quae has fauces circumdant, abrupta atque aspera esse uerba τῆςδ' ἀπὸ στύφλου πέτρας (u. 748) et adiectiua ὀκρίς (1015) et ὀκριόεσσα [2]) (282) docent. In qua rupe neque arbor neque frutex nascitur, qui Prometheo contra solis ardorem tempestatumque iniuriam tutelae sit: id quod et uersibus 22—25 pulcherrime describitur et adiectiuo δυςχείμερος (15) exprimitur. Neque enim necesse est hanc uocem cum Schuetzio regionis septentrionalis uel propinqui maris indicium habere. Etenim δυςχείμερος *„aspero coelo"* significat atque sic de Do-

---

1) Conf. Eust. ad Il. II, p. 309 u. 20. et Etym. magnum s. u. φάραγξ. Vtriusque sensus exempla sunt Thuc. II, 67 καὶ ἐς φάραγγας ἐςέβαλον et Eur. Iph. Taur. 277 θάσσειν φάραγγα.

2) Hanc uocem Hesychius uerbis τραχύ, σκληρόν, στερεόν, ὀργίλον interpretatur.

dona ab Homero Il. II, 750, de Scythia ipsa ab Herodoto IIII 28 usurpatur.

Voces adhuc a nobis consideratae cum nihil nisi condicionem loci describant, ad eius situm definiendum nullam dant ansam: uerborum autem *σκόπελος* [*σκοπέλοις ἐν ἄκροις* u. 144] et *κρημνός* [*πέτραις ὑψιλοκρήμνοις* u. 5] frequentior usus in eam opinionem nos adducit, ut in litore fabulam agi putemus. Illa enim uocabula quamquam a posterioribus poetis de omnibus saxis adhibentur, ab Homero tamen *σκόπελος* semper de rupe in mare procurrente[1]), *κρημνός* uero de qualibet ripa praerupta[2]) usurpatur. Neque Aeschylum a uulgari usu recessisse, sed reuera fauces, in quibus Prometheus uinctus est, in ora maritima iacere praeter uersum 1088 *συντετάρακται δ'αἰθὴρ πόντῳ*, — quod ille dicere uix potuit, nisi eum atque spectatores mare conturbatum uidisse statuimus —, Ionis uerba [*ἐμὲ*] *πλανᾷ τε νῆστιν ἀνὰ τὰν παραλίαν ψάμμαν* (u. 537) ita confirmant, ut dubitationem res non habeat. Etenim Meyerus cum pag. 30 huius argumenti uim ita refringere studeret, ut diceret Ionem non solum per oram maritimam, uerum etiam per montes ac solitudines errasse, non reputauit aduentum eius ad Prometheum, non omnes errores toto hoc carmine describi. Quamobrem nisi uirgo illo ipso tempore in proxima maris uicinitate migrasset, narrare non potuisset per arenam maritimam se pelli. Attamen nostrae sententiae alia uerba eiusdem Ionis

τί δῆτ' ἐμοὶ ζῆν κέρδος; ἀλλ' οὐκ ἐν τάχει
ἔρριψ' ἐμαυτὴν τῆσδ' ἀπὸ στύφλου πέτρας,
ὅπως πέδοι σκήψασα τῶν πάντων πόνων
ἀπηλλάγην[3])

repugnare uidentur. Recte enim Meyerus eodem loco monet,

---

1) Conf. Il. II, 396, Od. XII 73 atque Hesychius uocem explicat *ἐξέχουσα εἰς θάλασσαν πέτρα.*

2) Vid. Il. XXI 25, 234 atque item Pind. Nem. VIIII 95, Aeschyl. fragm. 31.

3) VV. 747—750.

si Prometheus in ipsa ora alligatus esset, illam non in campum, sed in mare se e rupe uelle praecipitare esse dicturam. Cum igitur constet et Ionem, cum ad Prometheum aduenirct, litus maris esse secutam neque, dum cum Prometheo loquitur, in ipsa ora esse, haec facile ita inter se conciliantur, ut statuamus saxa, ad quae Prometheus religatus est, non in ipsas undas eminere, — quod ne putemus etiam uox *φάραγξ* prohibet, — sed paullulum ab ora recedere, ita tamen ut et Prometheus mare respicere possit (u. 1088) et minores colles ad illud pertineant (*κρημνός*, *σκόπελος*). Sic Io, ut Prometheo appropinquaret, ora relicta in rupem adscenderet erat necesse.

Inde uero, quod Oceanitides earumque pater non adnatant, sed aduolant [1]), nihil colligi potest, cum unam huius rei caussam celeritatem esse illae ipsae indicent [2]). *Vidimus igitur si minus oram maris, litus certe scaenam esse.*

Verba uero, de quibus hactenus egimus, *φάραγξ*, *σκόπελος*, *κρημνός*, nec minus mare propinquum etiam illud nos docent, saxum Promethei non nimis altum esse. Quod optimo iure a nobis esse statutum Lucianus in dialogo, qui Prometheus inscribitur, maxime confirmat, cum eisdem uocabulis adhibitis addat [3]) *οὔτε ταπεινὸν καὶ πρόςγειον ἀνεσταυρῶσθαι οὔτε μὴν κατὰ τὸ ἄκρον, ἀλλ', εἰ δοκεῖ, κατὰ μέσον ἐνταῦθά που ὑπὲρ τῆς φάραγγος ἀνεσταυρώσθω.* Omnes autem dubitationes Oceani uerbis tolluntur, qui de Ioue dicit *τάχ' ἂν σου καὶ μακρὰν ἀνωτέρω θακῶν* (312). Cum uero Aeschylus Caucasum montium altissimum eiusque uertices astris uicinos nominet [4]), apparet in eius iugo Prometheum

---

1) Quam rem nostrae sententiae repugnare Welckerus in appendice ad tril. Aeschyl. p. 61 censet.

2) *Θοαῖς ἁμίλλαις προςέβα* (u. 129.), *μόγις παρειποῦσα* (131.), *κραιπνοφόροι* (132.), *κραιπνόσυτος* (279.).

3) §. 1.

4) V. 719 *πρὶν ἂν πρὸς αὐτὸν Καύκασον μόλῃς ὀρῶν ὕψιστον* et u. 721 *ἀστρογείτονας δὲ χρὴ κορυφὰς ὑπερβάλλουσαν.*

non retineri. „At non in iugo ipso, sed ad humiliores Caucasi partes, quae mare attingunt, alligatus est.“ Quod statui posse Lucianus docet atque sic statuendum esse uiri docti [1]) e uerbis modo commemoratis *πρὸς αὐτὸν Καύκασον μόλῃς* collegerunt. Etenim pronomine *αὐτόν* putauerunt uerticem Caucasi esse oppositum radicibus eius, in quibus Iapeti filius uinctus sit: quam interpretationem absurdam esse neque homini sano in mentem uenire debuisse Hermannus [2]) censuit. Vt praetermittam dicere, quae difficultates ex hac sententia oriantur — nam de his infra agendum erit — inquiramus, num *αὐτόν* hoc loco ita explicare liceat. Quamquam nemo adhuc neque paria plane neque similia exempla attulit [3]), negare tamen nolo summum iugum pronomine *αὐτός* inferioribus montium collibus opponi posse, si quidem montes ipsi eorumue partes aut iam commemorata sunt aut facile e sententiarum nexu intelleguntur, id quod in hunc locum non cadit. Deinde admirationem haberet, si Caucasus uno spiritu et cum suis ipsius partibus uoce *αὐτόν* et cum relicuis montibus uerbis *ὀρῶν ὕψιστον* compararetur. Denique in eo offendimus, quod, si hanc explicationem sequimur, eadem sententia uerbis *πρὸς αὐτὸν Καύκασον* et *κροτάφων ἀπ' αὐτῶν* et *ἀστρογείτονας κορυφάς* expressa est, praesertim cum pronomen *αὐτός* eodem sensu bis usurpatum sit. Quae uero uis huic pronomini proprie subiecta est? Rem alteram illud opponit alteri, quae aut eiusdem generis sit aut aliquo uinculo cum priore cohaereat. Itaque quoniam in eis, quae antecedunt, montes Ioni uitandi

1) Reinganum l. c. p. 329. Voelckerus p. 300.

2) Aeschyl. II, p. 154.

3) Nam et uerba, quae statim sequuntur, *κροτάφων ἀπ' αὐτῶν*, quamuis similitudinis speciem praebeant, longe differunt, cum hic uertex uoce *κροτάφων* significatus sit, et uersus 847 a Reingano commemoratus *Νείλου πρὸς αὐτῷ στόματι καὶ προσχώματι* similesque loci, in quibus *αὐτός* notionem *„proprie sic dictus“* „im engeren Sinn“ habet, a nostro loco plane alieni sunt. Nemo enim, puto, affirmauerit nomen montium proprie non nisi cacumini esse dandum.

non commemorati sunt, necesse est Caucasum alicui rei, quae cum eo cohaereat, esse oppositum. Quamobrem cum flumen, quod ex eo oritur, talis sit res, sententiam esse puto hanc: ne amnem transgredere, qui de Caucaso labitur, sed iugum ipsum, quod eum emittit. Cursus ergo et fons fluui sibi opponuntur. Sed ut largiamur *αὐτὸν Καύκασον* uerticem montis significare, tamen non uideo, quomodo inde efficiatur, ut Prometheus in radicibus Caucasi uinctus sit.

Ei denique restant loci, qui totam regionem uicinam plane desertam neque ab ullis hominibus habitatam esse docent. Sunt uero hi: *ἄβροτον εἰς ἐρημίαν* (u. 2) et *τῷδ' ἀπανθρώπῳ τόπῳ, ἵν' οὔτε φωνὴν οὔτε του μορφὴν βροτῶν ὄψει* (uu. 20—21). Quae de Caucaso Aeschylus dicere uix potuit, a quo et Amazonas (uu. 723 et 415) et Colchos (u. 420) proxime sedes habere ipse ait. Atque Lucianus, qui in eis, de quibus modo egimus, cum nostra argumentatione pugnare uidebatur, hic eam maxime confirmat. Nam cum Prometheum eo consilio ad Caucasum affixum esse statueret, ut homines uiderent quidem eum, sed soluere nequirent[1]), Caucasum haud quaquam ab hominibus desertum habuit.

Ex omnibus igitur apparet, Prometheum in faucibus esse uinctum, quae saxis in maris litore iacentibus, non nimis altis, praeruptis, asperis, sterilibus, ab hominibus nunquam aditis efficiantur: atque haec descriptio neque in uerticem Caucasi neque in inferiores eius colles conuenit.

Regio uero, in qua illos montes Aeschylus posuit — nam ad primi capitis secundam partem iam transibo — his paucis uerbis determinatur: *χθονὸς μὲν εἰς τηλουρὸν ἥκομεν πέδον Σκύθην ἐς οἶμον, ἄβροτον εἰς ἐρημίαν* (uu. 1. 2), *σιδηρομήτορα ἐλθεῖν εἰς αἶαν* (u. 300), *ἵκετο τερμόνιον ἐπὶ πάγον* (u. 117). Scythiam autem de Aeschyli sententia per totas regiones septentrionales inde a Ponto Euxino usque ad Oceanum pertinuisse alio loco docebimus. Atque *σιδηρομή-*

1) Prometh. §. 1.

τωρ αἶα nihil aliud significat nisi Σκύθης οἶμος. Nam ex Aeschyli uerbis διέλαχον σφυρηλάτῳ Σκύθῃ σιδήρῳ [Septem ad Theb. 816—817] cum Stephano Byzantio s. u. Σκύθης, Hesychio s. u. Χαλυβδική et Σκυθική, Suida s. u. Χάλυβες collatis Scythicum aes tunc inclitum fuisse uidemus: eiusque conflandi temperandique artem Scythas inuenisse Hesiodus [1]) et Aristoteles [2]) tradiderunt. In *desertis* autem Scythiae Prometheum esse e secundo uersu discimus. Quae ubi sita sint, planis quidem uerbis non dicitur. Sed quia uocem τερμόνιος, licet translato sensu de regione ualde remota usurpetur, in hac tamen fabula, quae tota in extremis terris agitur, propria significatione adhibitam esse multo est uerisimilius, in eam opinionem adducimur, ut solitudines illas Scythicas in *Oceani* litore [3]) iacere putemus. Quae sententia uersu 134 κτύπου γὰρ ἀχὼ χάλυβος διῇξεν ἄντρων μυχὸν ualde confirmatur. Nam si scaenam non ad Pontum Euxinum, sed prope ab Oceano esse statuimus, multo probabilius esse uidetur Oceanitidas mallei ictus audiuisse. Nec minus nostra sententia ea re comprobatur, quod Aeschylus chorum ex ipsis Oceani filiis constituit, non ex Nereidibus, quas poetam sumpturum fuisse putaueris, si Prometheum in Ponti litore uinctum fecisset.

Carmen uero primum a u. 397—435, quo plerique sententiam suam communire studuerunt, equidem ad diiudicandam quaestionem, quo in loco Prometheus uinctus sit, nullius momenti esse puto. Nam qui hoc loco eos populos, qui non procul a Prometheo sedes haberent, commemorari censuerunt atque ex eo prope a Maeotide uinctum illum esse concluserunt, mihi quidem falsa interpretatione uerborum ἔποικον Ἀσίας ἕδος (u. 410), quae „*finitimas Asiae sedes*" uerterunt, niti uidentur.

---

1) Clemens Alexandr. Strom. I, p. 307, ubi Eusebius quoque et Trapezuntius testes nominantur.

2) Plin. hist. nat. VII, 57, §. 497.

3) De litore enim cogitandum esse supra uidimus.

Quam notionem ut confirmarent, lexicographi Sophoclis Oed. Col. u. 507

τοὐκεῖθεν ἄλσους, ὦ ξένη, τοῦδ'. ἢν δέ του
σπάνιν τιν' ἴσχῃς, ἔστ' ἔποικος, ὃς φράσει.

attulerunt, ubi ἔποικον „*accolam*" significare dixerunt. Vt concedamus in uerbo ἔποικος hanc uim inesse, in quod mox inquiremus, tamen uel sic ualde dubito, num illud de terris regionibusque dici aut passiuo sensu usurpari possit. Veteres autem grammatici illam notionem uoci ἔποικος esse subiectam ignorant: sed cum ceteri omnes eam interpretentur „*colonum, qui in urbem uel terram ab aliis iam habitatam missus est*", quorum sententiam secutus scholiasta Mediceus adnotat ἀναχρονισμός. οὔπω γὰρ ἦν ἐποικισθεῖσα τοῖς Ἕλλησιν ἡ Ἀσία, tum Thomas Magister haec dicit: ἔποικος καὶ ἁπλῶς κατοικῶν ἔν τινι πόλει καὶ ὁ ἐξελαθέντος τοῦ πρώην οἰκοῦντος αὐτὸς ἐπελθὼν καὶ οἰκήσας. Quamobrem cum et notio *accolae* in hac uoce inesse nusquam, *incolae* uero a Thoma Magistro dicatur nec minus uerbum ἐποικεῖν sensu incolendi adhibeatur[1]), deinde cum illo loco Sophocleo ξένη et ἔποικος sibi opponantur: ἔποικον apud Sophoclem „*incolam*" esse uertendum atque item in Aeschyli loco adiectiuum ἔποικος passiuo sensu usurpatum nihil aliud nisi „*habitatum*" significare puto. Sed omnino cur illarum potissimum nationum hoc carmine mentio fiat, caussam non hanc esse, quod non procul a Prometheo sedes habeant, ex eo intellegis, quod Aeschylus τᾶν σᾶν συνομαιμόνων addit. Nullo enim modo eaedem gentes et Prometheo et Atlanti Typhonique finitimae esse possunt. Immo poeta cum exprimere uoluerit totum orbem terrarum[2]) Iapetidarum sortem maerere,

1) Quamquam antiquiora exempla mihi in promptu non sunt, quibus hunc uocis ἔποικος usum confirmem, satis tamen mihi esse uidentur haec: συνεπιμελεῖσθαι τούτων καὶ Πόμπυλον ἐποικοῦντα αὐτόν, quae uerba e Theophrasto a Diogene Laertio V, 54 e commemorantur; τρία ἔθνη τῇ Κρήτῃ ἐπῴκησαν Etym. Magn. p. 708; atque item H. Stephanus ex Aristide τὸ ἐποικούμενον Αἰθιοπίας affert.

2) Χώρα enim, cum πρόπασα χώρα (u. 406) de certa regione ac-

et Asiae incolas pro barbaris et ex Europaeis gentibus ferocissimas Amazonas Scythas Colchos nominat.

Sed quoniam huius carminis mentio nobis facienda fuit, illud quoque hoc loco monemus, cum ὁπόσοι τ' ἔποικον Ἀσίας ἕδος νέμονται Κολχίδος τε γᾶς ἔνοικοι παρθένοι καὶ Σκύθης ὅμιλος Ἀραβίας τ' ἄρειον ἄνθος, ὑψίκρημνον οἳ πόλισμα Καυκάσου πέλας νέμονται sibi opponantur, τέ uero particula semper noui aliquid adiungat, certissime affirmandum esse Amazonas Scythas Colchos ab Aeschylo non inter Asiaticas, sed inter Europaeas gentes esse relatos. Ἀραβίας autem uocem, quae huic sententiae repugnat, cum hanc ipsam ob rem tum propter alias caussas corruptam esse statuendum est. Nam cum quattuor membra particulis τέ, τέ, καί, τέ coniuncta sint, quinto loco ne poetae quidem particulam omittere licuit. Itaque uerba ὑψίκρημνον οἳ πόλισμα Καυκάσου πέλας νέμονται antecedentis uersus Ἀραβίας τ'ἄρειον ἄνθος explicationem contineant necesse est. Iam uero quamvis latius Arabum nomen antiquitus pertinuerit [1]), nemo tamen unquam, puto, testem proferet, qui Arabas Caucasi incolas nominet. Deinde scholiasta illa uerba ὑψίκρημνον οἳ πόλισμα Καυκάσου πέλας νέμονται recte de Colchis accepisse uidetur, quoniam eorum urbs Aeschyli aetate in illis regionibus una erat fabulis notior. Quid autem Arabibus cum Colchis est? Quae coniecturae prius ad hunc locum emendandum a viris doctis factae sunt statuentibus Σαρματᾶν aut Χαλυβίας aut Ἀρίας [2]) pro Ἀραβίας esse legendum, eae neque hanc difficultatem tollunt neque ostendunt, quomodo deprauata lectio orta sit; sed quod Heimsoethius in libro nuper edito [3]) p. 488 proposuit Χαλκίδος τ'ἄρειον ἄνθος, id primo quidem obtutu ualde nobis arridet. Nam et Stephanus Byzantius s. u. Χαλκίς in

---

cipi nequeat, notione minus usitata de toto orbe terrarum habitato adhibitum est.

1) Confer Schoemannum ad u. 414.

2) Haec uox ne in uersum quidem quadrat.

3) Die Wiederherstellung der Dramen des Aeschylus. Bonn 1861.

Scythia Chalcidis urbis mentionem facit et Hesychius Χαλκιδικήν uoce Σκυθική explicat: atque cum Strabo aliam urbem eiusdem nominis in Arabia commemoret [1]), hanc caussam corruptelae putaueris. Neque tamen uideo, quae ratio Heimsoethium impulerit, ut Chalcidem Chalybum urbem fuisse statueret. Nam quod nemo adhuc Chalybas in Caucaso posuit, id coniecturam labefactat potius, quam confirmat. Sed cum Chalcidem Scythicam, de qua urbe Stephanus Hermiam geographum testem citat, Aeschyli aetate nondum exstitisse omnium antiquiorum scriptorum silentium doceat, coniectura huius oppidi nomen in Aeschylum inducere non licet. Deinde uero equidem persuadere mihi non possum grammaticum, qui Strabonem cognouerit, tam indoctum fuisse, ut Arabas in Caucaso sedes habere putaret. Accedit denique, quod, qui uerba ὑψίκρημνον πόλισμα Καυκάσου πέλας audit, potius de celeberrima Colchide, quam de plane ignota Chalcide cogitat, ut scholiasta recte intellexit. Alia igitur uia ingredienda est, quae quidem mihi illa scholiastae explicatione monstrari uidetur. Herodotus enim (II, 103) et Diodorus (I, 55) communem fuisse famam tradunt Colchidem ab Aegyptiis esse conditam; idem Auienus his uerbis dicit:

Impiger hos propter Colchus colit iste *feraci*
exul ab Aegypto *celsae* serit *aspera rupis* [2]),

in quibus magnam similitudinem cum Aeschyli uerbis agnoscis. Itaque scribendum esse coniicio

Ἀερίων τ' ἄρειον ἄνθος,
ὑψίκρημνον οἳ πόλισμα
Καυκάσου πέλας νέμονται.

Stephanus enim Byzantius Aegyptum Ἀερίαν eiusque incolas Ἀερίους, Ἀερίτας, Ἀεριεῖς nominatos esse docet atque

1) Strabo XVI, 2. 18, p. 755: μετὰ δὲ τὸν Μάκραν ἔστιν ὁ Μασσύας ἔχων τινὰ καὶ ὀρεινά, ἐν οἷς ἡ Χαλκὶς ὥσπερ ἀκρόπολις τοῦ Μασσύου-τὰ μὲν οὖν ὀρεινὰ ἔχουσι πάντα Ἰτουραῖοί τε καὶ Ἄραβες κακοῦργοι πάντες.

2) VV. 873 et 874.

Ἀερίας nomine Aeschylus ipse in Supplicibus u. 75 Aegyptum appellat. Facile autem fieri potuit, ut grammaticus Aegypto, cuius incolae non melius quam Arabes in Caucasum quadrare uidebantur, cum propinqua Arabia confusa *Ἀερίων* uocem, quae sane explicatione egebat, uerbo *Ἀραβίας* interpretaretur, praesertim cum Apollodorus Aegyptum ab Arabiae rege expugnatam esse atque ab eo nomen duxisse referat[1]). Sed haec hactenus.

Iam primo capite extremum est, ut de *Ionis erroribus* agamus. Ex locis, quae illa attigit, priusquam ad Prometheum uenit, haec commemorantur: flumen Cenchreae et Lernaeum litus, ad quae Argis appropinquauit (675), Dodona (829), sinus Ionius[2]), ad quem Dodona accessit (832); atque ibi se conuertit (838). Iam cum Prometheus se plurimis omissis[3]) nihil relaturum esse dicat, nisi ultimam errorum partem[4]), totum quidem iter apparet ex hac fabula sola definiri non posse, sed statuendum esse Ionem mari Ionio relicto recta uia ad Prometheum migrasse. Qua re efficitur, ut hic in regione religatus sit, quae ab illo mari in orientem uergat, id quod uersu 348 *Ἄτλαντος, ὃς πρὸς ἑσπέρους τόπους ἕστηκε* ualde confirmatur[5]).

Mare autem, quod secuta Io ad Prometheum uenit (570), quamquam planis uerbis non designatur, Oceanum tamen esse inde apparet, quod *ἄφετον ἀλᾶσθαι γῆς ἐπ' ἐσχάτοις ὅροις* (u. 666) de Ponto dici non potest. Iam uero quo modo Io

1) Apoll. II, 1. 5. *Δαναὸν μὲν οὖν Βῆλος ἐν Λιβύῃ κατῴκισεν, Αἴγυπτον δὲ ἐν Ἀραβίᾳ, ὃς καὶ καταστρεψάμενος τὴν Μελαμπόδων χώραν ὠνόμασεν Αἴγυπτον.*

2) Totum autem mare Adriaticum a poetis Ionium nominabatur. Vid. App. crit. in Aesch. p. 100 atque confer Cic. de orat. III, 19, 69.

3) *Ὄχλον μὲν οὖν τὸν πλεῖστον ἐκλείψω λόγων* u. 827.

4) *Πρὸς αὐτὸ δ' εἶμι τέρμα σῶν πλανημάτων* u. 828.

5) Hos locos Schoemannus neglexit, cum scaenam in occidentali litore Oceani esse statueret.

eadem uia seruata (828) ab Oceano ad Prometheum uenire potuit, nisi ille ipse in Oceani litore erat?

Plurimum autem ad quaestionem nostram diiudicandam itinera nobis proficiunt, quae uirginem peruagaturam esse Prometheus uersibus 706—734 uaticinatur, quorum summa haec est: „Hinc in orientem conuersa primum per incultas regiones proficisceris, deinde ad Scythas Nomadas uenies, ad quos noli prope accedere, sed terram eorum secundum mare peruade. Sinistra uero Chalybes habitant, qui item tibi uitandi sunt. Deinde ad uiolentum flumen appropinquabis, quod ne transgrediare, priusquam ad fontem, qui in Caucaso monte est, perueneris. Cuius summis uerticibus in meridiem uersus superatis Amazonum terram ingredieris. Ab his uero ducta ad Bosporum Cimmerium accedes, qui tibi transnatandus erit, atque Europaeis terris relictis Asiam intrabis.“ Iam singula consideremus. E uerbis *στεῖχ' ἀνηρότους γύας* [707] neque uiam sequi mare efficitur neque, quod Hermannus[1]) uult, contrarium. Nam non uideo, cur inhabitabile litus nomine camporum incultorum significari non possit. Sed quocunque loco Scythiae Prometheus uinctus est, Io nullo modo, dum in orientem uersus migrat, ad Pontum Euxinum aut ad Oceanum uenire potuit, nisi oram semper erat secuta. Quae cum uerbis *οἷς μὴ πελάζειν ἀλλ' ἁλιστόνοις πόδας χρίμπτουσα ῥαχίαισιν ἐκπερᾶν χθόνα* [uu. 712 et 713] per litus maritimum ire neque iter hactenus flexisse dicatur, confitendum est eam Prometheo relicto semper secundum mare iter facere, donec Scytharum Nomadum terram reliquerit: atque hoc aliud est argumentum, propter quod fabulam in maris litore agi statuimus. In sequenti uero enuntiato *λαιᾶς δὲ χειρὸς οἱ σιδηροτέκτονες οἰκοῦσι Χάλυβες, οὓς φυλάξασθαί σε χρή* [714. 715], cum Prometheus in hac praedictione semper futuro, quod desideratur, usus sit[2]), e praesenti *οἰκοῦσι* intellegimus his

---

1) Iahni annal. l. l. p. 290.

2) *Ἀφίξει* u. 710, *ἥξεις* 717, 724, *ὁδηγήσουσι* 728, *ἥξεις* 734, 808, *ὁδώσει* 813.

uerbis non nouam itineris partem commemorari, sed modo indicatam accuratius describi. Itaque ut nunc uerba leguntur, ad ea, quae proxime antecedunt, referenda atque sic explicanda sunt: „Per Scytharum Nomadum terram eunti sinistra tibi Chalybes habitant.“ Attamen res ita se habere nequit. Nam quoniam ab altera parte Scythas, ab altera mare esse e uersibus 711—713 intellegitur, Chalybibus locus omnino non est relictus. Quam difficultatem ut tolleret, Hartungius coniecit ἀλλὰ λισσάσιν πόδας χρίμπτουσα ῥαχίαισιν ἐκπερᾶν χθόνα idque commendatione egere negat. Mea uero sententia plane nihil hac mutatione proficitur. Nam ut taceam maxime mirum esse tam pulchram tamque exquisitam uocem, quam ἁλίστονος est, uel ex interpolatione uel ex fortuita corruptela ortam esse, Ionem tunc in litore errare non solum uoce ἁλιστόνοις, sed non minus uerbo ῥαχίαισιν indicatur, quoniam in hoc uerbo semper uno loco Sophocleo [1]) excepto orae maritimae notio inest. Atque si hunc Sophoclis locum urgeas, unde spectatores illud uerbum tam inusitato sensu esse adhibitum diuinare poterant? Deinde uero quorum montium iugum hoc loco intellegendum est? Num Caucasus? Ad hunc uirgo uersu 719 demum uenit. An Rhipaei? Hi montes de Aeschyli sententia in regione occidentali iacebant [2]). Alius uero Scythiae mons Aeschyli aetate nondum erat notus [3]). E contrario de planitie hoc loco cogitandum esse cum Scythae Nomades ipsi, qui nunquam in montuosis terris palantur, tum uerba στεῖχ' ἀνηρότους γύας ostendunt. Cum igitur uerbum ῥαχίαισιν montes significare nequeat, efficitur, ut Io, dum Scytharum Nomadum terram transeat, mare sequatur. Difficultas igitur, quam supra diximus in eo esse positam, quod Ioni per Nomadum terram eunti eodem tempore a sinistra et Chalybes et mare esse non possint,

---

1) In Etymol. Magno s. u. Ῥαχίς p. 702. u. 50 haec dicuntur: παρὰ δὲ Σοφοκλεῖ ῥαχία λέγεται ἡ τοῦ ὄρους.

2) Fragm. 191.

3) Confer Herodoti descriptionem Scythiae.

Hartungi coniectura, quae ne per se quidem probabilis est, nullo modo tollitur. Nihil ergo restat, nisi ut lacunam hoc loco esse statuamus. Quae sententia maxime eo confirmatur, quod dialogi partes ut in aliis tragoediis sic in ipsa Prometheo accuratissime sibi respondent, ut Ribbeckius in commentatione *„de arte, qua Aeschylus in Prometheo uincto diuerbia composuerit“*, Bernae 1858 edita plurimis exemplis nobis demonstrauit. Itaque etiam Ionis enumerationem laborum, quos tum iam pertulerit, Promethei uaticinationi, quae uiae praeterea ei peruagandae sint, respondere uerisimile est. Quamobrem cum illius uerba uersus quadraginta septem, huius uero quadraginta duo tantum compleant, quinque uersus abesse uidentur, quorum unum post uersum 717 desiderari mox demonstrabimus, ita ut, si coniectura stet, quattuor post uersum 713 interciderint. Quid uero his quattuor uersibus dictum fuerit, excogitari non potest. Sed propter duas alias difficultates aliquid coniectura esse consecutus mihi uideor. In uersu enim 712 pro uerbis *ἀλλ' ἁλιστόνοις πόδας χρίμπτουσα ῥαχίαισιν*, quae primum in editione Turnebi lecta postea ab omnibus fere editoribus recepta sunt, codex Mediceus ceterique omnes *γύποδας* exhibent. Haec quidem difficultas etiam Hermanni speciosissima coniectura remouetur, qui *ἀλλὰ γυῖ' ἁλιστόνοις χρίμπτουσα* proposuit, *πόδας* glossema uocis *γυῖα* esse censens: quamquam mirum est et *γυῖα*, quod uocabulum omnino apud tragicos[1]) rarissimum est, hac ipsa notione pedum, quod sciam, nusquam inueniri neque a codicibus *ἀλλὰ γυῖ' ἁλιστόνοις πόδας* uel *ἀλλὰ γυίποδας ἁλιστόνοις* praeberi, sed in eis *γυῖ'* in *γυ* deprauatum post *ἁλιστόνοις* esse positum, *ἀ γυῖ'* uero intercidisse. Neque hac ratione lectiones *γε πόδας* et *γυμνίποδας* a recentioribus scholiastis commemoratae neque, quod multo maioris momenti est, Medicei scholiastae uerba explicantur adnotantis *ἔθνος ἀντὶ τοῦ γηγενεῖς, τινὲς γυμνίποδας*. Quod cum scriberet, eum aliam uocem atque *γύποδας* le-

1) Apud Sophoclem id nusquam reperis.

gisse apparet. Itaque cum dicat eius populi, qui uulgo *Γηγενεῖς* „*Terra geniti*" appelletur, ab Aeschylo alio nomine, cui eadem uis subiecta sit [*ἀντὶ τοῦ γηγενεῖς*], mentionem esse factam, statuendum puto gentem in illa lacuna a poeta commemoratam atque *Γῆς παῖδας* [1]) „*filios Terrae*", quae uoces cum eandem notionem atque *γηγενεῖς* tum parem mensuram ac *Γυμνίποδας* habent, nominatam fuisse, deinde uero illa uerba in margine adscripta, postquam quattuor illi uersus interciderint, propter similitudinem uocis *πόδας* paullulum deprauata in uersum 712 irrepsisse. Sed ut haec mea explicatio lectionis *Γύποδας* nimis artificiosa Hermannique coniectura simplicior ueriorque sit, illud certe mihi ex scholiastae Medicei adnotatione apparere uidetur, populum, *Γῆς παῖδας* puto, hoc loco commemoratum fuisse. Qui cum in Aeschyli uerbis, ut nunc leguntur, non exstet, lacunam post uersum 713 esse confirmatur, id quod cum propter caussam pag. 24 expositam tum e responsione uersuum conclusimus. Quamobrem Io postquam Scythas Nomadas praeteriit, uiam mari relicto paullulum flectat est necesse, ut ei ab altera parte Terrae filii, ab altera Chalybes habitare possint.

Neque minus inter uersus *ἥξεις δ' ὑβριστὴν ποταμὸν οὐ ψευδώνυμον* [717] et *ὃν μὴ περάσῃς, οὐ γὰρ εὔβατος περᾶν* [718] aliquid desiderari supra iam dixi. Nam si cum multis

1) Ipsum nomen *Γήπαιδες*, quod apud posteriores scriptores de Gepidis notissima illa natione Gothica usurpatur atque a ueteribus grammaticis falso a uocibus *Γῆ* et *παῖς* ducitur [uid. Etym. Mag. et lex. Zon. s. h. u.], quamquam Herodiani uerbis [epim. p. 14. ed. Boiss.] *Γήπαιδες· ἔθνος οἳ καὶ Ἐρεχθεῖς ὀνομάζονται· φασὶ δὲ τούτους † ἀπὸ τοὺς Γίγαντας* [*ἀποτόκους Γιγάντων?*] Gepidae significari non possunt atque apud Suidam, qui nihil aliud nisi *Γήπαιδας* nomen gentis esse tradit, codicis Bruxellensis lectionem *Γήποδες* (ε) ad ipsam deprauatam uocem *Γύποδας* respicere facile putaueris, Aeschylo tamen tribuere non ausim, cum uoces simili ratione cum uerbo *παῖς* compositae apud posteriores tantum poetas inueniantur, uelut *Διόπαις* Anthol. VIIII, 525, *Ταρταρόπαις* Orph. Arg. 795, *Πυρίπαις* Opp. IIII, 287, Nonn. D. VIIII, 19 *ἀνακτέπαις* Man. Phila VIII, 5. p. 529 ed. Werns.

uiris doctis Ὑβριστὴν nomen proprium habemus, non intelligitur, quomodo Ὑβριστής uerbis οὐ γὰρ εὔβατος περᾶν explicetur. Sin uero adiectiuum esse statuimus, nomen fluminis deest, ad quod ψευδώνυμος referatur. Accedit, quod et scholiastae Medicei uerba τὸν Ἀράξην παρὰ τὸ ἀράσσειν καὶ ἠχεῖν τὰ κύματα αὐτοῦ et quae Eustathius ad Dionysium Periegetam u. 739 adnotat τοῦ δὲ Μασσαγετικοῦ τούτου τοῦ Ἀράξου μέμνηται καὶ Αἰσχύλος καὶ ἀρέσκεται καὶ ἐκεῖνος ἀπὸ τοῦ ἀράσσειν καλεῖσθαι αὐτόν, ita sunt conscripta, ut uterque Araxis nomen ipsum apud Aeschylum legisse uideatur. Quamobrem exploratum habeo post uocem ψευδώνυμον uersum, in quo amnis ille nominatus fuerit, intercidisse [1]), ueluti

σμερδνοῖς Ἀράξην κύμασιν βρυχώμενον,

quem Hermannus proposuit [2]). Iam cum Io moneatur, ne Araxem transeat, sed eius cursum usque ad Caucasum sequatur, statuendum est hunc ita fluere, ut illa, si eadem uia pergat, eum transgrediatur. Paullulum igitur hoc quoque loco uirgo ab instituta uia aberrat.

In eis uero quae nunc sequuntur cum cardo rei uertatur, ipsa Aeschyli uerba apponam:

717. ἥξεις δ' ὑβριστὴν ποταμὸν οὐ ψευδώνυμον
[σμερδνοῖς Ἀράξην κύμασιν βρυχώμενον,]
718. ὃν μὴ περάσῃς, οὐ γὰρ εὔβατος περᾶν,
πρὶν ἂν πρὸς αὐτὸν Καύκασον μόλῃς ὀρῶν
720. ὕψιστον, ἔνθα ποταμὸς ἐκφυσᾷ μένος
κροτάφων ἀπ' αὐτῶν. ἀστρογείτονας δὲ χρὴ
κορυφὰς ὑπερβάλλουσαν ἐς μεσημβρινὴν
βῆναι κέλευθον, ἔνθ' Ἀμαζόνων στρατὸν
ἥξεις στυγάνορ', αἳ Θεμίσκυράν ποτε
725. κατοικιοῦσιν ἀμφὶ Θερμώδονθ', ἵνα

1) Nemini enim, puto, Heimsoethius, qui in libro supra commemorato p. 27 ὑβριστήν glossema genuinae lectionis Ἀράξην esse statuit, persuadebit quemquam nomen aptissimum intellectuque facillimum Ἀράξην, qui celeberrimus fluuius erat, uoce ὑβριστήν explicasse.

2) Aeschyl. II. pag. 121.

τραχεῖα πόντου Σαλμυδησσία[1]) *γνάθος*
ἐχθρόξενος ναύταισι, μητρυιὰ νεῶν·
αὗταί σ' ὁδηγήσουσι καὶ μάλ' ἀσμένως.
ἰσθμὸν[2]) *δ' ἐπ' αὐταῖς στενοπόροις λίμνης πύλαις*
Κιμμερικὸν ἥξεις, ὃν θρασυσπλάγχνως σε χρὴ
λιποῦσαν αὐλῶν' ἐκπερᾶν Μαιωτικόν·
ἔσται δὲ θνητοῖς εἰσαεὶ λόγος μέγας
τῆς σῆς πορείας, Βόσπορος δ' ἐπώνυμος
κεκλήσεται. λιποῦσα δ' Εὐρώπης πέδον
ἤπειρον ἥξεις Ἀσιάδ'.

Quibus in explicandis uerbis ab ultimis proficiscar, quoniam haec certum disputationis fundamentum nobis praebent. Ex uersibus igitur 730—735 uidemus Bosporum Cimmerium os paludis Maeotidis Aeschylo iam notum fuisse atque ab eo terminum inter Asiam et Europam esse habitum. Nam si quis hos uersus alia opinione non praeoccupatus perlegit, aliter eos accipere nequit, nisi ut Ionem in eis dici statuat eo tempore, quo Bosporum Cimmerium transnatauerit, Europa relicta Asiam intraturam esse. Iam uero cum ad Caucasum Amazonasque prius, quam ad Bosporum ueniat [732], sequitur, ut Aeschylus putauerit et Amazonas et Colchos[3]) et Caucasum — atque hunc quidem uel citra uel supra Maeotim[4]) — et

---

1) Vocem *Σαλμυδησσία* ex falsa interpretatione ortam atque *τραχεῖα πόντου ἁλμυροῦ κεῖται γνάθος* aut simile aliquid legendum esse puto. Sed cum haec res ad nostram quaestionem non pertineat, accuratius de ea nunc non agam.

2) Hac voce non isthmum inter Carcinitam sinum atque Maeotim, quod Hermannus statuit, sed angustam illam Tauricae paeninsulae partem, quae Bosporo Cimmerio ab Asia disiungitur, significari cum sententiarum nexus tum uerba *ἐπ' αὐταῖς στενοπόροις λίμνης πύλαις* ostendunt.

3) Vid. uu. 415 et 423, quibuscum confer, quae pp. 18—22 dixi.

4) Quam rem cum plerique plane intolerabilem ducerent, Welckerus, Reinganum, Schuetzius, Klausenius, Voelckerus difficultatem artificiosissima interpretandi ratione tollere studuerunt: quorum sententias singillatim nunc me persequi opus non est, quoniam in praefatione de unaquaque egi. Alii uero magnis translationibus Aeschylo succurrendum esse putauerunt, quam tamen

uiam ualde lubricam esse item in praefatione demonstraui. Sed alias quoque dubitationes eorum coniecturae mouent. Nam quod Meyerus magna cum confidentia proposuit [p. 16] uersus 729—731 ἰσθμὸν — Μαιωτικόν ante uersum 714 λαιᾶς δὲ χειρός esse ponendos, plane respuendum est. Etenim ut minora argumenta silentio praetermittam, hac ratione ea, quae arctissimo et sententiae et constructionis uinculo coniuncta sunt [ἰσθμὸν — κεκλήσεται], quindecim uersibus disiunguntur, ita ut ne subiectum quidem ad uerba Βόσπορος δ᾽ἐπώνυμος κεκλήσεται adsit. Reisigi uero coniectura ab Hochio comprobata, quam Meyerus, etsi multo praestantior est quam coniectura ab ipso proposita, summo cum contemptu commemorat neque refutatione dignam habet, primo obtutu sane magnam probabilitatis speciem prae se fert. Ille enim uersus 717—728 ἥξεις δ᾽ὑβριστὴν ποταμὸν — καὶ μάλ᾽ ἀσμένως in lacunam illam, quam post uersum 791 statuendam esse omnes editores uno consensu censent, transposuit. Quo modo Io sane, ita ut res se habet, superato demum Bosporo Cimmerio ad Caucasum et Amazonas in Colchide habitantes peruenit. Attamen ne hac quidem mutatione lacuna illa post uersum 791 expletur, deinde uero non solum omnis diuerbiorum responsio, de qua supra egimus, tollitur, sed etiam altera praedictionis pars nimis breuis, altera nimis longa fieri uidetur, quae omnia coniecturam incertiorem reddunt. Sed omnes has opiniones modo a me commemoratas cum ipso Aeschylo pugnare infra me spero demonstraturum esse.

Sed ne Hermanni quidem sententiam, qui in eo se continuit, ut Caucasum a poeta longius ad septentrionem remotum esse statueret [uid. adn. ad Aeschyl. II. p. 157.], uerbis Aeschyli omni ex parte satisfacere puto. Nam non modo caussa non est, cur Io, si in Asiatica Maeotidis ora iam fuit, ad Bosporum Cimmerium redeat neque eadem uia pergat, uerum etiam, si Amazonum sedes a Caucaso in meridiem spectantes inter maria Caspium et Maeoticum iacerent, Io inde in Tauricam paeninsulam uenire non poterat, nisi montes iterum transgrederetur. Itaque cum neutrum a Prometheo dictum sit, confitendum est Caucasum de Aeschyli sententia aut supra aut citra Maeotim iacere.

Schirlitzi autem sententia, qui, quod ex tabula colligi potest — nam neque certis argumentis comprobauit neque omnino apertis uerbis dixit — Caucasum ad Borysthenis ripam posuit, iacet, si uera sunt, quae ego de Araxis fluui cursu deque scaena in Oceani litore ponenda disputaui. Neque, ut illud statim addam, Athenienses credi possunt illo tempore, quo Olbia iam dudum florebat, ignorasse nullos ad Borysthenis ripam esse montes.

Atque cum Inachis Araxem prope fontem, h. e. in Caucaso, in meridiem uersus transiiciat [ὃν μὴ περάσῃς, πρὶν ἂν πρὸς αὐτὸν Καύκασον μόλῃς et u. 722], confitendum est eum e septentrionali montis parte ortum in regionem inter aquilonem et orientem solem spectantem profluere. Itaque Io necesse est, ubi primum ad eum accedit, e regionibus ad septentriones uergentibus ueniat. Ex quo efficitur, mare, quod illa sequitur, dum per Nomadum terram et deserta Scythiae migrat, esse Oceanum eoque apud Chalybas relicto uirginem in Euronoti partes se uertere. Quae si uere disputata sunt, *fauces, in quibus Prometheus uinctus est, in Oceani litore, non in Caucaso iacere* apparet. Sed etiamsi mea sententia non comprobetur, tamen quae Prometheus u. 719 dicit prohibent, ne fabulam in illo monte agi putemus. Nam quamuis longissimi itineris spatium inter huius uerticem saxumque Promethei intersit, [707—719] tamen neque ulla uoce indicatur Ionem in eandem regionem reuerti neque caussa est, quae Prometheum impulerit, ut illi tantas ambages imperaret[1]). Sed haec hactenus.

1) De sententia Meyeri, qui Caucasos Ponticum et septentrionalem non procul ab Oceano situm discernit [pag. 33—38], infra agemus.

Caput II.

Quoniam in secunda disputationis parte mihi ex instituto meo quaerendum est, *quibus in rebus ea, quae modo ex sola Prometheo uincto conclusimus, cum aliis Aeschyli locis aut cum relicuorum scriptorum relatione ueroque regionum situ consentiant aut pugnent, atque quae discrepantiae caussae cogitari possint*, consentaneum est uiam prioris capitis sequi.

Primo igitur loco de Scythia eiusque desertis — nam quae antecedunt explicatione non egent — dicendum est. Atque si Strabonis paragraphum 27 libri I, cap. 2 [p. 33] *φημὶ γὰρ κατὰ τὴν τῶν ἀρχαίων Ἑλλήνων δόξαν, ὥσπερ τὰ πρὸς βοῤῥᾶν μέρη τὰ γνώριμα ἑνὶ ὀνόματι Σκύθας ἐκάλουν ἢ Νομάδας, ὡς Ὅμηρος — οὕτω τὰ μεσημβρινὰ πάντα Αἰθιοπίαν καλεῖσθαι τὰ πρὸς ὠκεανῷ. μαρτυρεῖ δὲ τὰ τοιαῦτα. ὅ τε γὰρ Αἰσχύλος ἐν Προμηθεῖ τῷ λυομένῳ φησὶν οὕτω*, ubi fragmentum 186 de Aethiopibus sequitur, cum eiusdem capitis paragrapho uicesima octaua *Μηνύει δὲ καὶ Ἔφορος τὴν παλαιὰν περὶ τῆς Αἰθιοπίας δόξαν, ὅς φησιν — πρὸς δὲ βοῤῥᾶν ἄνεμον Σκύθας. προστίθησι δ'ὅτι μείζων ἡ Αἰθιοπία καὶ ἡ Σκυθία. δοκεῖ γάρ, φησί, τὸ τῶν Αἰθιόπων ἔθνος παρατείνειν ἀπ' ἀνατολῶν χειμερινῶν μεχρὶ δυσμῶν, ἡ Σκυθία δ'ἀντίκειται τούτῳ* comparaueris, Aeschylum intelleges antiquam illam de Scythia opinionem habuisse, ex qua per totam regionem septentrionalem supra Pontum Euxinum sitam ab occidentali litore Oceani usque ad orientale illa pertinebat. Quae sententia ea re confirmatur, quod Aeschylus *Σκύθην ἐρημίαν* (Prom. 2, 708), Scy-

Ἀερίας nomine Aeschylus ipse in Supplicibus u. 75 Aegyptum appellat. Facile autem fieri potuit, ut grammaticus Aegypto, cuius incolae non melius quam Arabes in Caucasum quadrare uidebantur, cum propinqua Arabia confusa *Ἀερίων* uocem, quae sane explicatione egebat, uerbo *Ἀραβίας* interpretaretur, praesertim cum Apollodorus Aegyptum ab Arabiae rege expugnatam esse atque ab eo nomen duxisse referat[1]). Sed haec hactenus.

Iam primo capite extremum est, ut de *Ionis erroribus* agamus. Ex locis, quae illa attigit, priusquam ad Prometheum uenit, haec commemorantur: flumen Cenchreae et Lernaeum litus, ad quae Argis appropinquauit (675), Dodona (829), sinus Ionius[2]), ad quem Dodona accessit (832); atque ibi se conuertit (838). Iam cum Prometheus se plurimis omissis[3]) nihil relaturum esse dicat, nisi ultimam errorum partem[4]), totum quidem iter apparet ex hac fabula sola definiri non posse, sed statuendum esse Ionem mari Ionio relicto recta uia ad Prometheum migrasse. Qua re efficitur, ut hic in regione religatus sit, quae ab illo mari in orientem uergat, id quod uersu 348 *Ἄτλαντος, ὃς πρὸς ἑσπέρους τόπους ἕστηκε* ualde confirmatur[5]).

Mare autem, quod secuta Io ad Prometheum uenit (570), quamquam planis uerbis non designatur, Oceanum tamen esse inde apparet, quod *ἄφετον ἀλᾶσθαι γῆς ἐπ' ἐσχάτοις ὅροις* (u. 666) de Ponto diei non potest. Iam uero quo modo Io

---

1) Apoll. II, 1. 5. *Δαναὸν μὲν οὖν Βῆλος ἐν Λιβύῃ κατῴκισεν, Αἴγυπτον δὲ ἐν Ἀραβίᾳ, ὃς καὶ καταστρεψάμενος τὴν Μελαμπόδων χώραν ὠνόμασεν Αἴγυπτον.*

2) Totum autem mare Adriaticum a poetis Ionium nominabatur. Vid. App. crit. in Aesch. p. 100 atque confer Cic. de orat. III, 19, 69.

3) *Ὄχλον μὲν οὖν τὸν πλεῖστον ἐκλείψω λόγων* u. 827.

4) *Πρὸς αὐτὸ δ' εἶμι τέρμα σῶν πλανημάτων* u. 828.

5) Hos locos Schoemannus neglexit, cum scaenam in occidentali litore Oceani esse statueret.

eadem uia seruata (828) ab Oceano ad Prometheum uenire potuit, nisi ille ipse in Oceani litore erat?

Plurimum autem ad quaestionem nostram diiudicandam itinera nobis proficiunt, quae uirginem peruagaturam esse Prometheus uersibus 706—734 uaticinatur, quorum summa haec est: „Hinc in orientem conuersa primum per incultas regiones proficisceris, deinde ad Scythas Nomadas uenies, ad quos noli prope accedere, sed terram eorum secundum mare peruade. Sinistra uero Chalybes habitant, qui item tibi uitandi sunt. Deinde ad uiolentum flumen appropinquabis, quod ne transgrediare, priusquam ad fontem, qui in Caucaso monte est, perueneris. Cuius summis uerticibus in meridiem uersus superatis Amazonum terram ingredieris. Ab his uero ducta ad Bosporum Cimmerium accedes, qui tibi transnatandus erit, atque Europaeis terris relictis Asiam intrabis.“ Iam singula consideremus. E uerbis *στεῖχ' ἀνηρότους γύας* [707] neque uiam sequi mare efficitur neque, quod Hermannus[1]) uult, contrarium. Nam non uideo, cur inhabitabile litus nomine camporum incultorum significari non possit. Sed quocunque loco Scythiae Prometheus uinctus est, Io nullo modo, dum in orientem uersus migrat, ad Pontum Euxinum aut ad Oceanum uenire potuit, nisi oram semper erat secuta. Quae cum uerbis *οἷς μὴ πελάζειν ἀλλ' ἁλιστόνοις πόδας χρίμπτουσα ῥαχίαισιν ἐκπερᾶν χθόνα* [uu. 712 et 713] per litus maritimum ire neque iter hactenus flexisse dicatur, confitendum est eam Prometheo relicto semper secundum mare iter facere, donec Scytharum Nomadum terram reliquerit: atque hoc aliud est argumentum, propter quod fabulam in maris litore agi statuimus. In sequenti uero enuntiato *λαιᾶς δὲ χειρὸς οἱ σιδηροτέκτονες οἰκοῦσι Χάλυβες, οὓς φυλάξασθαί σε χρή* [714. 715], cum Prometheus in hac praedictione semper futuro, quod desideratur, usus sit[2]), e praesenti *οἰκοῦσι* intellegimus his

1) Iahni annal. l. l. p. 290.

2) *Ἀφίξει* u. 710, *ἥξεις* 717, 724, *ὁδηγήσουσι* 728, *ἥξεις* 734, 808, *δώσει* 813.

uerbis non nouam itineris partem commemorari, sed modo indicatam accuratius describi. Itaque ut nunc uerba leguntur, ad ea, quae proxime antecedunt, referenda atque sic explicanda sunt: „Per Scytharum Nomadum terram eunti sinistra tibi Chalybes habitant.“ Attamen res ita se habere nequit. Nam quoniam ab altera parte Scythas, ab altera mare esse e uersibus 711—713 intellegitur, Chalybibus locus omnino non est relictus. Quam difficultatem ut tolleret, Hartungius coniecit *ἀλλὰ λισσάσιν πόδας χρίμπτουσα ῥαχίαισιν ἐκπερᾶν χθόνα* idque commendatione egere negat. Mea uero sententia plane nihil hac mutatione proficitur. Nam ut taceam maxime mirum esse tam pulchram tamque exquisitam uocem, quam *ἁλίστονος* est, uel ex interpolatione uel ex fortuita corruptela ortam esse, Ionem tunc in litore errare non solum uoce *ἁλιστόνοις*, sed non minus uerbo *ῥαχίαισιν* indicatur, quoniam in hoc uerbo semper uno loco Sophocleo [1]) excepto orae maritimae notio inest. Atque si hunc Sophoclis locum urgeas, unde spectatores illud uerbum tam inusitato sensu esse adhibitum diuinare poterant? Deinde uero quorum montium iugum hoc loco intellegendum est? Num Caucasus? Ad hunc uirgo uersu 719 demum uenit. An Rhipaei? Hi montes de Aeschyli sententia in regione occidentali iacebant [2]). Alius uero Scythiae mons Aeschyli aetate nondum erat notus [3]). E contrario de planitie hoc loco cogitandum esse cum Scythae Nomades ipsi, qui nunquam in montuosis terris palantur, tum uerba *στεῖχ' ἀνηρότους γύας* ostendunt. Cum igitur uerbum *ῥαχίαισιν* montes significare nequeat, efficitur, ut Io, dum Scytharum Nomadum terram transeat, mare sequatur. Difficultas igitur, quam supra diximus in eo esse positam, quod Ioni per Nomadum terram eunti eodem tempore a sinistra et Chalybes et mare esse non possint,

---

1) In Etymol. Magno s. u. *Ῥαχίς* p. 702. u. 50 haec dicuntur: *παρὰ δὲ Σοφοκλεῖ ῥαχία λέγεται ἡ τοῦ ὄρους.*

2) Fragm. 191.

3) Confer Herodoti descriptionem Scythiae.

Hartungi coniectura, quae ne per se quidem probabilis est, nullo modo tollitur. Nihil ergo restat, nisi ut lacunam hoc loco esse statuamus. Quae sententia maxime eo confirmatur, quod dialogi partes ut in aliis tragoediis sic in ipsa Prometheo accuratissime sibi respondent, ut Ribbeckius in commentatione *„de arte, qua Aeschylus in Prometheo uincto diuerbia composuerit“*, Bernae 1858 edita plurimis exemplis nobis demonstrauit. Itaque etiam Ionis enumerationem laborum, quos tum iam pertulerit, Promethei uaticinationi, quae uiae praeterea ei peruagandae sint, respondere uerisimile est. Quamobrem cum illius uerba uersus quadraginta septem, huius uero quadraginta duo tantum compleant, quinque uersus abesse uidentur, quorum unum post uersum 717 desiderari mox demonstrabimus, ita ut, si coniectura stet, quattuor post uersum 713 interciderint. Quid uero his quattuor uersibus dictum fuerit, excogitari non potest. Sed propter duas alias difficultates aliquid coniectura esse consecutus mihi uideor. In uersu enim 712 pro uerbis *ἀλλ' ἁλιστόνοις πόδας χρίμπτουσα ῥαχίαισιν*, quae primum in editione Turnebi lecta postea ab omnibus fere editoribus recepta sunt, codex Mediceus ceterique omnes *γύποδας* exhibent. Haec quidem difficultas etiam Hermanni speciosissima coniectura remouetur, qui *ἀλλὰ γυῖ' ἁλιστόνοις χρίμπτουσα* proposuit, *πόδας* glossema uocis *γυῖα* esse censens: quamquam mirum est et *γυῖα*, quod uocabulum omnino apud tragicos[1]) rarissimum est, hac ipsa notione pedum, quod sciam, nusquam inueniri neque a codicibus *ἀλλὰ γυῖ' ἁλιστόνοις πόδας* uel *ἀλλὰ γυίποδας ἁλιστόνοις* praeberi, sed in eis *γυῖ'* in *γυ* deprauatum post *ἁλιστόνοις* esse positum, *ἀ γυῖ'* uero intercidisse. Neque hac ratione lectiones *γε πόδας* et *γυμνίποδας* a recentioribus scholiastis commemoratae neque, quod multo maioris momenti est, Medicei scholiastae uerba explicantur adnotantis *ἔθνος ἀντὶ τοῦ γηγενεῖς, τινὲς γυμνίποδας.* Quod cum scriberet, eum aliam uocem atque *γύποδας* le-

1) Apud Sophoclem id nusquam reperis.

gisse apparet. Itaque cum dicat eius populi, qui uulgo *Γηγενεῖς* „*Terra geniti*“ appelletur, ab Aeschylo alio nomine, cui eadem uis subiecta sit [*ἀντὶ τοῦ γηγενεῖς*], mentionem esse factam, statuendum puto gentem in illa lacuna a poeta commemoratam atque *Γῆς παῖδας* 1) „*filios Terrae*“, quae uoces cum eandem notionem atque *γηγενεῖς* tum parem mensuram ac *Γυμνίποδας* habent, nominatam fuisse, deinde uero illa uerba in margine adscripta, postquam quattuor illi uersus interciderint, propter similitudinem uocis *πόδας* paullulum deprauata in uersum 712 irrepsisse. Sed ut haec mea explicatio lectionis *Γύποδας* nimis artificiosa Hermannique coniectura simplicior ueriorque sit, illud certe mihi ex scholiastae Medicei adnotatione apparere uidetur, populum, *Γῆς παῖδας* puto, hoc loco commemoratum fuisse. Qui cum in Aeschyli uerbis, ut nunc leguntur, non exstet, lacunam post uersum 713 esse confirmatur, id quod cum propter caussam pag. 24 expositam tum e responsione uersuum conclusimus. Quamobrem Io postquam Scythas Nomadas praeteriit, uiam mari relicto paullulum flectat est necesse, ut ei ab altera parte Terrae filii, ab altera Chalybes habitare possint.

Neque minus inter uersus *ἥξεις δ' ὑβριστὴν ποταμὸν οὐ ψευδώνυμον* [717] et *ὃν μὴ περάσῃς, οὐ γὰρ εὔβατος περᾶν* [718] aliquid desiderari supra iam dixi. Nam si cum multis

1) Ipsum nomen *Γήπαιδες*, quod apud posteriores scriptores de Gepidis notissima illa natione Gothica usurpatur atque a ueteribus grammaticis falso a uocibus *Γῆ* et *παῖς* ducitur [uid. Etym. Mag. et lex. Zon. s. h. u.], quamquam Herodiani uerbis [epim. p. 14. ed. Boiss.] *Γήπαιδες· ἔθνος οἳ καὶ Ἐρεχθεῖς ὀνομάζονται· φασὶ δὲ τούτους † ἀπὸ τοὺς Γίγαντας* [*ἀποτόκους Γιγάντων*?] Gepidae significari non possunt atque apud Suidam, qui nihil aliud nisi *Γήπαιδας* nomen gentis esse tradit, codicis Bruxellensis lectionem *Γήποδες* (ε) ad ipsam deprauatam uocem *Γύποδας* respicere facile putaueris, Aeschylo tamen tribuere non ausim, cum uoces simili ratione cum uerbo *παῖς* compositae apud posteriores tantum poetas inueniantur, uelut *Διόπαις* Anthol. VIIII, 525, *Ταρταρόπαις* Orph. Arg. 795, *Πυρίπαις* Opp. IIII, 287, Nonn. D. VIIII, 19 *ἀνακτόπαις* Man. Phila VIII, 5. p. 529 ed. Werns.

uiris doctis Ὑβριστήν nomen proprium habemus, non intellegitur, quomodo Ὑβριστής uerbis οὐ γὰρ εὔβατος περᾶν explicetur. Sin uero adiectiuum esse statuimus, nomen fluminis deest, ad quod ψευδώνυμος referatur. Accedit, quod et scholiastae Medicei uerba τὸν Ἀράξην παρὰ τὸ ἀράσσειν καὶ ἠχεῖν τὰ κύματα αὐτοῦ et quae Eustathius ad Dionysium Periegetam u. 739 adnotat τοῦ δὲ Μασσαγετικοῦ τούτου τοῦ Ἀράξου μέμνηται καὶ Αἰσχύλος καὶ ἀρέσκεται καὶ ἐκεῖνος ἀπὸ τοῦ ἀράσσειν καλεῖσθαι αὐτόν, ita sunt conscripta, ut uterque Araxis nomen ipsum apud Aeschylum legisse uideatur. Quamobrem exploratum habeo post uocem ψευδώνυμον uersum, in quo amnis ille nominatus fuerit, intercidisse [1]), ueluti

σμερδνοῖς Ἀράξην κύμασιν βρυχώμενον,

quem Hermannus proposuit [2]). Iam cum Io moneatur, ne Araxem transeat, sed eius cursum usque ad Caucasum sequatur, statuendum est hunc ita fluere, ut illa, si eadem uia pergat, eum transgrediatur. Paullulum igitur hoc quoque loco uirgo ab instituta uia aberrat.

In eis uero quae nunc sequuntur cum cardo rei uertatur, ipsa Aeschyli uerba apponam:

717. ἥξεις δ' ὑβριστὴν ποταμὸν οὐ ψευδώνυμον
[σμερδνοῖς Ἀράξην κύμασιν βρυχώμενον,]
718. ὃν μὴ περάσῃς, οὐ γὰρ εὔβατος περᾶν,
πρὶν ἂν πρὸς αὐτὸν Καύκασον μόλῃς ὀρῶν
720. ὕψιστον, ἔνθα ποταμὸς ἐκφυσᾷ μένος
κροτάφων ἀπ' αὐτῶν. ἀστρογείτονας δὲ χρὴ
κορυφὰς ὑπερβάλλουσαν ἐς μεσημβρινὴν
βῆναι κέλευθον, ἔνθ' Ἀμαζόνων στρατὸν
ἥξεις στυγάνορ', αἳ Θεμίσκυράν ποτε
725. κατοικιοῦσιν ἀμφὶ Θερμώδονθ', ἵνα

1) Nemini enim, puto, Heimsoethius, qui in libro supra commemorato p. 27 ὑβριστήν glossema genuinae lectionis Ἀράξην esse statuit, persuadebit quemquam nomen aptissimum intellectuque facillimum Ἀράξην, qui celeberrimus fluuius erat, uoce ὑβριστήν explicasse.

2) Aeschyl. II. pag. 121.

τραχεῖα πόντου Σαλμυδησσία[1]) *γνάθος*
ἐχθρόξενος ναύταισι, μητρυιὰ νεῶν·
αὗταί σ' ὁδηγήσουσι καὶ μάλ' ἀσμένως.
ἰσθμὸν[2]) *δ' ἐπ' αὐταῖς στενοπόροις λίμνης πύλαις*
Κιμμερικὸν ἥξεις, ὃν θρασυσπλάγχνως σε χρὴ
λιποῦσαν αὐλῶν' ἐκπερᾶν Μαιωτικόν·
ἔσται δὲ θνητοῖς εἰςαεὶ λόγος μέγας
τῆς σῆς πορείας, Βόσπορος δ' ἐπώνυμος
κεκλήσεται. λιποῦσα δ' Εὐρώπης πέδον
ἤπειρον ἥξεις 'Ασιάδ'.

Quibus in explicandis uerbis ab ultimis proficiscar, quoniam haec certum disputationis fundamentum nobis praebent. Ex uersibus igitur 730—735 uidemus Bosporum Cimmerium os paludis Maeotidis Aeschylo iam notum fuisse atque ab eo terminum inter Asiam et Europam esse habitum. Nam si quis hos uersus alia opinione non praeoccupatus perlegit, aliter eos accipere nequit, nisi ut Ionem in eis dici statuat eo tempore, quo Bosporum Cimmerium transnatauerit, Europa relicta Asiam intraturam esse. Iam uero cum ad Caucasum Amazonasque prius, quam ad Bosporum ueniat [732], sequitur, ut Aeschylus putauerit et Amazonas et Colchos[3]) et Caucasum — atque hunc quidem uel citra uel supra Maeotim[4]) — et

1) Vocem *Σαλμυδησσία* ex falsa interpretatione ortam atque *τραχεῖα πόντου ἁλμυροῦ κεῖται γνάθος* aut simile aliquid legendum esse puto. Sed cum haec res ad nostram quaestionem non pertineat, accuratius de ea nunc non agam.

2) Hac voce non isthmum inter Carcinitam sinum atque Maeotim, quod Hermannus statuit, sed angustam illam Tauricae paeninsulae partem, quae Bosporo Cimmerio ab Asia disiungitur, significari cum sententiarum nexus tum uerba *ἐπ' αὐταῖς στενοπόροις λίμνης πύλαις* ostendunt.

3) Vid. uu. 415 et 423, quibuscum confer, quae pp. 18—22 dixi.

4) Quam rem cum plerique plane intolerabilem ducerent, Welckerus, Reinganum, Schuetzius, Klausenius, Voelckerus difficultatem artificiosissima interpretandi ratione tollere studuerunt: quorum sententias singillatim nunc me persequi opus non est, quoniam in praefatione de unaquaque egi. Alii uero magnis translationibus Aeschylo succurrendum esse putauerunt, quam tamen

Araxem et Chalybas et Scythas Nomadas non in Asia, sed in Europa sitos esse utque Prometheus in Europa uinctus sit.

---

uiam ualde lubricam esse item in praefatione demonstraui. Sed alias quoque dubitationes eorum coniecturae mouent. Nam quod Meyerus magna cum confidentia proposuit [p. 16] uersus 729—731 ἰσθμὸν — Μαιωτικόν ante uersum 714 λαιᾶς δὲ χειρός esse ponendos, plane respuendum est. Etenim ut minora argumenta silentio praetermittam, hac ratione ea, quae arctissimo et sententiae et constructionis uinculo coniuncta sunt [ἰσθμὸν — κεκλήσεται], quindecim uersibus disiunguntur, ita ut ne subiectum quidem ad uerba Βόσπορος δ'ἐπώνυμος κεκλήσεται adsit. Reisigi uero coniectura ab Hochio comprobata, quam Meyerus, etsi multo praestantior est quam coniectura ab ipso proposita, summo cum contemptu commemorat neque refutatione dignam habet, primo obtutu sane magnam probabilitatis speciem prae se fert. Ille enim uersus 717—728 ἥξεις δ'ὑβριστὴν ποταμὸν — καὶ μάλ' ἀσμένως in lacunam illam, quam post uersum 791 statuendam esse omnes editores uno consensu censent, transposuit. Quo modo Io sane, ita ut res se habet, superato demum Bosporo Cimmerio ad Caucasum et Amazonas in Colchide habitantes peruenit. Attamen ne hac quidem mutatione lacuna illa post uersum 791 expletur, deinde uero non solum omnis diuerbiorum responsio, de qua supra egimus, tollitur, sed etiam altera praedictionis pars nimis breuis, altera nimis longa fieri uidetur, quae omnia coniecturam incertiorem reddunt. Sed omnes has opiniones modo a me commemoratas cum ipso Aeschylo pugnare infra me spero demonstraturum esse.

Sed ne Hermanni quidem sententiam, qui in eo se continuit, ut Caucasum a poeta longius ad septentrionem remotum esse statueret [uid. adn. ad Aeschyl. II. p. 157.], uerbis Aeschyli omni ex parte satisfacere puto. Nam non modo caussa non est, cur Io, si in Asiatica Maeotidis ora iam fuit, ad Bosporum Cimmerium redeat neque eadem uia pergat, uerum etiam, si Amazonum sedes a Caucaso in meridiem spectantes inter maria Caspium et Maeoticum iacerent, Io inde in Tauricam paeninsulam uenire non poterat, nisi montes iterum transgrederetur. Itaque cum neutrum a Prometheo dictum sit, confitendum est Caucasum de Aeschyli sententia aut supra aut citra Maeotim iacere.

Schirlitzi autem sententia, qui, quod ex tabula colligi potest — nam neque certis argumentis comprobauit neque omnino apertis uerbis dixit — Caucasum ad Borysthenis ripam posuit, iacet, si uera sunt, quae ego de Araxis fluui cursu deque scaena in Oceani litore ponenda disputaui. Neque, ut illud statim addam, Athenienses credi possunt illo tempore, quo Olbia iam dudum florebat, ignorasse nullos ad Borysthenis ripam esse montes.

Atque cum Inachis Araxem prope fontem, h. e. in Caucaso, in meridiem uersus transiiciat [ὃν μὴ περάσῃς, πρὶν ἂν πρὸς αὐτὸν Καύκασον μόλῃς et u. 722], confitendum est eum e septentrionali montis parte ortum in regionem inter aquilonem et orientem solem spectantem profluere. Itaque Io necesse est, ubi primum ad eum accedit, e regionibus ad septentriones uergentibus ueniat. Ex quo efficitur, mare, quod illa sequitur, dum per Nomadum terram et deserta Scythiae migrat, esse Oceanum eoque apud Chalybas relicto uirginem in Euronoti partes se uertere. Quae si uere disputata sunt, *fauces, in quibus Prometheus uinctus est, in Oceani litore, non in Caucaso iacere* apparet. Sed etiamsi mea sententia non comprobetur, tamen quae Prometheus u. 719 dicit prohibent, ne fabulam in illo monte agi putemus. Nam quamuis longissimi itineris spatium inter huius uerticem saxumque Promethei intersit, [707—719] tamen neque ulla uoce indicatur Ionem in eandem regionem reuerti neque caussa est, quae Prometheum impulerit, ut illi tantas ambages imperaret[1]. Sed haec hactenus.

---

1) De sententia Meyeri, qui Caucasos Ponticum et septentrionalem non procul ab Oceano situm discernit [pag. 33—38], infra agemus.

Caput II.

Quoniam in secunda disputationis parte mihi ex instituto meo quaerendum est, *quibus in rebus ea, quae modo ex sola Prometheo uincto conclusimus, cum aliis Aeschyli locis aut cum relicuorum scriptorum relatione ueroque regionum situ consentiant aut pugnent, atque quae discrepantiae caussae cogitari possint,* consentaneum est uiam prioris capitis sequi.

Primo igitur loco de Scythia eiusque desertis — nam quae antecedunt explicatione non egent — dicendum est. Atque si Strabonis paragraphum 27 libri I, cap. 2 [p. 33] *φημὶ γὰρ κατὰ τὴν τῶν ἀρχαίων Ἑλλήνων δόξαν, ὥσπερ τὰ πρὸς βοῤῥᾶν μέρη τὰ γνώριμα ἑνὶ ὀνόματι Σκύθας ἐκάλουν ἢ Νομάδας, ὡς Ὅμηρος — οὕτω τὰ μεσημβρινὰ πάντα Αἰθιοπίαν καλεῖσθαι τὰ πρὸς ὠκεανῷ. μαρτυρεῖ δὲ τὰ τοιαῦτα. ὅ τε γὰρ Αἰσχύλος ἐν Προμηθεῖ τῷ λυομένῳ φησὶν οὕτω,* ubi fragmentum 186 de Aethiopibus sequitur, cum eiusdem capitis paragrapho uicesima octaua *Μηνύει δὲ καὶ Ἔφορος τὴν παλαιὰν περὶ τῆς Αἰθιοπίας δόξαν, ὅς φησιν — πρὸς δὲ βοῤῥᾶν ἄνεμον Σκύθας. προστίθησι δ᾽ὅτι μείζων ἡ Αἰθιοπία καὶ ἡ Σκυθία. δοκεῖ γάρ, φησί, τὸ τῶν Αἰθιόπων ἔθνος παρατείνειν ἀπ᾽ ἀνατολῶν χειμερινῶν μεχρὶ δυσμῶν, ἡ Σκυθία δ᾽ἀντίκειται τούτῳ* comparaueris, Aeschylum intelleges antiquam illam de Scythia opinionem habuisse, ex qua per totam regionem septentrionalem supra Pontum Euxinum sitam ab occidentali litore Oceani usque ad orientale illa pertinebat. Quae sententia ea re confirmatur, quod Aeschylus *Σκύθην ἐρημίαν* (Prom. 2, 708), Scy-

thas Nomadas (Pr. 710), ἱππάκης βρωτῆρας εὐνόμους Σκύθας (fr. 192), Scythas Chalybas (Pr. 715, Sept. ad Theb. 727) discernit. Deserta uero Scythiae, in quibus Prometheus nullum hominem uidere potest (u. 22), Aeschylus neque in occidentali litore Ponti Euxini posuit, quoniam et ipse Scythas bene moratos Gabiosque in hac regione commemorauit[1]) et haec illis temporibus per mercatores Graecos frequentata erat, neque in orientali, quoniam non modo ibi Amazones et Colchi a poeta nominantur, uerum etiam Io illuc magno demum iti-

1) Gabios enim siue Abios [utrumque enim nomen de eadem gente usurpatum esse Steph. Byz. s. u. Ἄβιοι et Eust. ad Il. I, p. 366 tradunt] supra Thracas habitasse Strabo VII, 3. 2 et 4 [p. 297] docet. Scythas uero εὐνόμους ἱππάκης βρωτῆρας non cum Hermanno [Aeschyl. I, p. 366] prope ab Oceano in Rhipaeorum radicibus posuerim, sed in septentrionali Ponti litore. Nam Hippocrates in libro de aëre et locis et aquis [I, p. 557 ed. Kuehn.] cum dicit κεῖται γὰρ ὑπ' αὐταῖς ταῖς ἄρκτοις καὶ τοῖς ὄρεσι τοῖς Ῥιπαίοισιν, quo loco Hermannus nititur, de tota Scythia, non de gentis alicuius sedibus loquitur. Omnes enim Scythas in curribus*) uiuere atque lacte et caseo equinis uesci narrat. Immo uero quoniam in pagina antecedenti multos et maximos fluuios in Scythia commemorat, conuincitur Ponticos potius Scythas maxime respicere, id quod per se multo est probabilius.

Itaque cum uel Hippocrates Scythas bene moratos in Ponti litore habitasse potius confirmet, quam refellat, haec sententia et Herodotea Scytharum descriptione et eo comprobatur, quod cum Scythis Ponticis Graeci iam tunc commercio erant coniuncti, ita ut eos hospitales esse bonisque institutis uti scirent. Vt uero eas sedes, quas supra dixi, illis tribuamus, eis maxime adducimur, quae Scymnus Chius uu. 810—815 refert:

τὸν Παντικάπην διαβάντι Λιμναίων ἔθνος
ἕτερά τε πλεῖον' οὐ διωνομασμένα
Νομαδικὰ δ' ἐπικαλούμεν' εὐσεβῆ πάνυ,
ὧν οὐδὲ εἷς ἔμψυχον ἀδικῆσαι ποτ' ἂν
οἰκοφόρα δ', ὡς εἴρηκε, καὶ σιτούμενα
γάλακτι ταῖς Σκυθικαῖσι θ' ἱππομολγίαις.

*) Quod cum Aeschylus u. 710 de Scythis Nomadibus tradat, eodem iure ex Hippocratis loco hos sub ipsis Rhipaeis montibus sedes habuisse collegeris.

nere in orientem uersus peracto uenit. Contra uastas solitudines a Scythia proprie sic dicta in septentriones uersus iacuisse easque usque ad Oceanum pertinuisse et Herodotus IIII, 18 nobis tradit [1]) et Plinius, qui VI, 20, §. 53 haec dicit: *„A Caspio mari Scythicoque oceano in Eoum cursus inflectitur ad orientem conuersa litorum fronte. Inhabitabilis eius prima pars a Scythico promontorio ob niues, proxima inculta saeuitia gentium„*" quae Pomponius Mela III, 7 eisdem fere uerbis confirmat. Plinius igitur et Pomponius Mela inhabitabilem regionem iuxta promontorium Scythicum Oceanum attingere putauerunt, quam Aeschyli sententiam fuisse supra statui: sed cum terrae a Ponto in septentriones spectantes notiores factae essent, deserta illa, de quibus antiqui scriptores multas fabulas tradiderunt, ab Europaea Scythia in Asiaticam transposuerunt. Rem ita se habere uidebis, si ea, quae apud Plinium hoc loco sequuntur, cum Herodoti capitibus 18 et 106 libri IIII comparaueris [2]).

Quod uero ad Ionis errores, ad quos iam pergimus, attinet, multi uiri docti Supplicum uersibus 544 et 545 *διχῆ δ'ἀντίπορον γαῖαν ἐν αἴσᾳ διατέμνουσα πόρον κυματίαν ὁρίζει* usi sunt, quibus itinera artificiosissima a se excogitata confirmarent. Recte enim Welckerus [3]) animaduertit haec uerba de eo transitu maris esse intellegenda, qui freto nomen Bospori dederit. Aeschylum igitur, etsi non apertis uerbis dicat, tamen pariter atque relicuos scriptores putasse Thracium quoque Bosporum ab Ione transitum esse. Quamobrem alii eam statuunt, antequam Bosporum Cimmerium transgrediatur, circum totum Pontum Euxinum migrare, alii a Caucaso per Asiam minorem currere atque per Thracium Bosporum in Europam redire, ut apud portas Herculis Libyam intret, alii denique plane e contrario Bosporo Cimmerio ex Asiatica parte

---

1) Confer Scymn. u. 809.

2) Vide pag. 36, ubi hos locos adscripsi.

3) Aesch. Tril. p. 140.

superato per Thracium in Asiam regredi. Quae omnia, cum nihil eorum a poeta dicatur, a simplici interpretatione abhorrent [1]).

Multo autem facilius Aeschylus cum uulgari fama conciliari non modo potest [2]), sed etiam, ut equidem arbitror, debet. Nam cum Prometheus (uu. 827 et 828) se plurima loca, quae Io attigerit, antequam ad ipsum ueniret, silentio praetermissurum neque quicquam esse commemoraturum dicat nisi ultimam itineris partem, necesse est uirgo multas terras permigrauerit, priusquam a Lernaeo litore Dodonam perueniret. Directa ergo uia tunc iuisse non potest. Quamobrem cum in illo carmine Supplicum modo commemorato [3]) Asiae minoris populi enumerentur, quorum in Prometheo uincto nulla uoce mentio fit [4]), atque cum uix alia caussa cogitari possit, cur Io ad litus Lernaeum profecta sit, nisi ut se in mare praecipitaret: Ionem de Aeschyli sententia ex Peloponneso in Asiam transnatasse eiusque terris peragratis per Bosporum Thracium Thraciamque Dodonam uenisse statuendum est; id quod Hyginus fabula 145 confirmare uidetur. Nam eius uerba ut in codicibus leguntur: „*At Iuno formidinem ei immisit, cuius timore exagitatam coegit eam, ut se in mare praecipitaret, quod mare Ionium est appellatum. Inde in Scythiam transnatauit, unde Bospori fines sunt dictae*“, sine dubio corrupta sunt. Etenim ut nihil ponderis ei rei tribuam, quod Io Argis non ad Ionium, sed ad Aegaeum mare fuit, non modo credere uix possumus Hyginum Scythiam usque ad mare Ionium extendisse, sed etiam uerba „*unde Bospori fauces* [5]) *sunt dictae*“ apertissime docent uoce „*inde*“ Asiam significari. Itaque uerba „*quod mare*

---

1) Confer praef. pagg. 4 et 5.

2) Hoc enim Hermannus in adn. ad Aesch. II, p. 159 demonstrauit.

3) VV. 538—555.

4) Ceterum Klausenius [p. 314] perspexit hoc loco non omnes Ionis errores, sed eam partem describi, quam Danaides in itinere attigerant. Dicunt enim illae *παλαιὸν δ᾽εἰς ἴχνος μετέσταν ματέρος* u. 538.

5) Hanc enim coniecturam ueram duco.

Ionium est appellatum" aut glossema ineptum sunt — quam sententiam repetitio uocis „*mare*" probabiliorem reddit — aut falsum obtinent locum. Neque tamen restituere locum possumus, quoniam multa intercidisse uidentur. Illud autem, si haec uere a me disputata sunt, efficitur, ut Hyginus quoque Ionem e Graecia in Asiam transnatasse dicat. Sed haec hactenus.

Scythas Nomadas in Oceani litore habitare supra statuimus. At huic sententiae Herodotus apertis uerbis repugnat, qui [l. IIII, c. 19] eorum sedes inter Panticapam et Gerrhum flumen i. e. ad Carcinitam sinum esse tradit. Sed quia uel Herodotus, qui primus atque solus septentrionales gentes accurate discernit, omnes Ponticos Scythas saepius [1]) Νομάδας uocat, relicui uero scriptores semper Europaeos Scythas hoc nomine appellent, apud Aeschylum de illis Herodoteis Nomadibus omnino cogitari non posse apparet. Antiquos uero scriptores putasse Scythas Nomadas ad Oceanum pertinere Strabo cum locis p. 31 a me commemoratis [2]) tum libro XI, cap. 2, §. 1, p. 492 nos docet, ubi dicit: τὸ πρῶτον μέρος οἰκοῦσιν ἐκ μὲν τῶν πρὸς ἄρκτον μερῶν καὶ τὸν Ὠκεανὸν Σκυθῶν τινὲς νομάδες καὶ ἁμάξοικοι [3]). Quin caussa exstat, quae impediat, ne Aeschylum Nomadas ad Ponti Euxini litus [4]) posuisse putemus. Nam cum his in fragm. 152 ἱππάκης βρωτῆρες εὔνομοι Σκύθαι opponantur, e uerbis ἑκηβόλοις τόξοισιν ἐξηρτυμένοι, οἷς μὴ πελάζειν (710. 712) Nomadas, quia crudeles atque inhospitales sint, Ioni euitandos esse colligimus. Quare quoniam non modo Pontici Scythae, quibuscum illis temporibus Graecis iam multum commercium esset, ab Aeschylo tam crudeles haberi non poterant, sed etiam ipsi illi Scythae a poeta εὔνομοι nominati esse uidentur, id quod supra

1) Vide I, 15. VI, 40. 84. IIII, 2.

2) Strabo I, 2. 27 et 28, p. 33 et 34.

3) Confer Aeschyli uerba Σκύθας δ' ἀφίξει νομάδας, οἳ πλεκτὰς στέγας πεδάρσιοι ναίουσ' ἐπ' εὐκύκλοις ὄχοις (709. 710.)

4) In litore enim eorum sedes esse e uerbis ἁλιστόνοις ῥαχίαισιν intellegis.

demonstrare studui [p. 32 sq. adn. 1], de gentibus autem a Scythia proprie sic dicta in septentriones uersus iacentibus, quarum crudelitas in prouerbium abiit, Herodotus IIII, 106 tradit: Ἀνδροφάγοι δὲ, quos deserta attingere cap. 18 dicit, ἀγριώτατα πάντων ἀνθρώπων ἔχουσι ἤθεα οὔτε δίκην νομίζοντες οὔτε νόμῳ οὐδενὶ χρεόμενοι, νομάδες δέ εἰσι, ἐσθῆτα δὲ φορέουσι τῇ Σκυθικῇ ὁμοίην, ἀνθρωποφαγέουσι δὲ μοῦνοι τούτων et Plinius VI, 20, §. 53: *„Inhabitabilis prima pars a Scythico promontorio ob niues, proxima inculta saeuitia gentium. Anthropophagi Scythae insident humanis corporibus uescentes, ideo iuxta uastae solitudines"*, quae uerba quasi commentarius loci Aeschylei haberi possunt: ideo uel Nomades in eam opinionem nos adducunt, ut fabulam in Oceani litore agi putemus idemque Γῆς παῖδες, si haec mea coniectura uera est, comprobant. Nam Γηγενεῖς et Γίγαντες, quae uoces saepissime de eadem gente promiscue usurpantur eundemque habent sensum atque uerba Γῆς παῖδες, crudelitate et ferocitate tam erant famosi, ut Suidas γηγενεῖς interpretaretur ὠχροὺς καὶ νεκρώδεις ἢ ἀσεβεῖς καὶ θεομάχους διὰ τοὺς Γίγαντας. Terrae ergo filii inter saeuas nationes Scythicas Nomadas et Chalybas ad Oceanum septentrionalem aptissimum habent locum.

Chalybas uero, quamquam omnes reliqui scriptores eos in australi Ponti Euxini litore collocauerunt[1]), Aeschylum tamen putasse in Europa sedes habere inde intellegitur, quod in Septem ad Thebas u. 727 eos Scythas appellat. Nam non modo nemo unquam nationes in meridiano Ponti litore habitantes Scythicas nominauit, uerum etiam poeta ipse omnes Scythas in Europaeis gentibus reposuisse uidetur. Neque tamen mirum est illum in hunc errorem incidisse. Etenim cum et Chalybes et Scythae aes inuenisse dicerentur atque aes Scythiae antiquitus inclitum esset[2]), quis non crediderit Cha-

1) Vid. Forbig. comp. geogr. II, p. 409.

2) Plin. VII, 57. 197: *Aes conflare et temperare Aristoteles Lydum*

lybas fuisse Scythas? Rem ita se habere maximo argumento est, quod lexicographi, qui Aeschylum secuti Chalybas Scythicam nationem appellant, inde aes in Graeciam afferri addunt [1]). Quamobrem cum ferrum Scythicum in Uralio monte nasceretur, rectissime Aeschylus Chalybas in regione ponit, quae a uia illa mercatoria, de qua in praefatione egimus, in septentriones orientemque spectat, atque eos feroces et inhospitales nominat [2]). Mercatores enim populos, quos ipsi non adibant, ut crudeles describere solebant. Quam sententiam Strabo maxime confirmat, cum de regionibus, quae superiorem Tanaim adiacent, haec tradat: ἄλλως τε οἱ νομάδες δυςεπίμικτοι τοῖς ἄλλοις ὄντες καὶ πλήθει καὶ βίᾳ διαφέροντες ἀποκεκλείκασιν, εἴ καί τι πορεύσιμον τῆς χώρας ἐστὶν ἢ εἴ τινας τετύχηκεν ἀνάπλους ἔχων ὁ ποταμός [3]). Multa igitur erant, quae poetam in hunc errorem, quo eum de Chalybibus teneri uidimus, inducerent.

Iam uero ad difficillimam quaestionem uenimus, quomodo factum sit, ut Aeschylus Araxem in septentrionalibus regionibus, Caucasum uero supra Maeotim aut in occidentali eius litore poneret. Vt a posteriore re ordiamur, quoniam inde iudicium de fluuio illo pendet, Caucasum et Colchidem ab Aeschylo in Europam esse relata praeter uersus 719—735, si quidem eos simpliciter explicas neque mutas, cum Promethei uincti carmen primum docet, in quo Colchi ad Caucasum habitantes Asiae incolis opponuntur [4]), tum Promethei soluti fragmentum 185, in quo Titanes se, postquam Phasim Asiae

---

Scythen monstrasse, Theophrastus Delam Phrygem putat, aerariam fabricam alii Chalybas, alii Cyclopas; Virg. I, 58, Valer. Flacc. IIII, 611, Ammian. XXII, 28: atque confer, quae ego pag. 18 sq. ad uocem σιδηρομήτωρ dixi.

1) Suid. Χάλυβες· ἔθνος Σκυθίας, ἔνθεν ὁ σίδηρος τίκτεται. Idem Hesychius s. uu. Χάλυβες, Χαλυβδική, Χαλκιδική et Etym. Magn. s. u. Χαλκός.

2) Ἀνήμεροι γὰρ οὐδὲ πρόςπλατοι ξένοις u. 716.

3) XI, 2. 2. p. 493.

4) Vide, quae ego de hoc carmine pagg. 20—22 disputaui.

Europaeque terminum superauerint, ad Prometheum in Caucaso [1]) uinctum uenisse dicunt. Quicunque igitur aut interpretatione aut coniectura id assequi student, ut Caucasus de Aeschyli sententia in Asia iaceat, cum ipse poeta pugnant. Sed aliam quoque difficultatem illud fragmentum affert. Nam Phasis in eo planis uerbis Europae et Asiae terminus nominatur, in uersibus autem 730—35 Promethei uincti hoc non minus distincte de Bosporo Cimmerio affirmatur. Quamobrem quia utrumque poeta, si Phasim suo loco positum esse putabat, sana mente in eadem trilogia dicere non potuit: confitendum est hunc amnem pariter atque Caucasum longissime ab Aeschylo in septentriones uersus esse remotum. Quae res item eis repugnat, qui Caucasum suo loco non mouent. Iam uero cum in illa regione unus Tanais celebrior fuerit, si Phasim cum Tanaide, qui, quantum scimus, nunquam neque ab Aeschylo neque ab Homero neque ab Hesiodo commemoratus est [2]), confusum esse statuimus, hoc uno errore posito omnes difficultates tolluntur. Etenim tum demum Phasis et fretum Maeoticum Asiam Europamque simul disiungere possunt atque ille optimo iure ab Aeschylo magnus [3]) uocatur, quod de uero Phaside dici uix potest. Deinde cum Colchicum flumen sit atque e Caucaso nascatur, poeta et Colchos et hunc montem supra Maeotim collocauerit necesse est, atque item Amazonas, quae prope a Caucaso [4]) et ad Tanaim inferiorem [5]) habitare tradebantur, in Colchide sedes habere efficitur. In quem uero errorem Athenienses et Aeschylus facilius incidere potuerunt, quam in hunc? Nam cum nautae Athenas rettulerint, se ex Ponto Euxino per angustum fretum in Maeotim uenisse, cuius in extremam partem magnum flumen se effun-

---

1) Fragm. 187.

2) Num Hecataeus eius mentionem fecerit, dubium est: uide enim, quae ego pag. 39 adn. 2 atque pag. 40 adn. 4. dicam.

3) Fragm. 185.

4) Prom. u. 415, quocum confer uu. 420—423 et u. 720.

5) Sallust. hist. III, fragm. 49 ed. Dietsch. Herod. IIII. 116.

deret, ultimam uero nauigationem in his regionibus usque ad Phasim[1]) esse, quis est, quin, si haec audiuerit neque tabulam geographicam inspexerit, talem opinionem sibi finxerit, qualem Aeschylus habuit? Miro autem modo hanc sententiam scholiasta ad Dionysium Periegetam u. 10 [p. 323 ed. Bernh.] confirmat, qui de Tanaide dicit: *Αἰσχύλος δὲ ἐν Προμηθεῖ λυομένῳ καὶ Σοφοκλῆς ἐν Σκύθαις ὑπὸ τούτου διορίζεσθαί φησι τὰς ἠπείρους.* Vis autem huius testimoni paullulum eo infringitur, quod, cum uerba scholiastae ualde corrupta sint, nonnulla hoc loco intercidisse facile possumus statuere. Neque cum sententia nostra pugnant, quae Herodotus IIII, 45 dicit: *καὶ οὐρίσματα αὐτῇ Νεῖλός τε ὁ Αἰγύπτιος ποταμὸς ἐτέθη καὶ Φᾶσις ὁ Κόλχος. οἱ δὲ Τάναϊν ποταμὸν τὸν Μαιήτην καὶ Πορθμήϊα τὰ Κιμμέρια λέγουσι,* quibus e uerbis nonnulli u. 734 *λιποῦσα δ' Εὐρώπης πέδον ἤπειρον ἥξεις Ἀσιάδ'* et u. 790 *ὅταν περάσῃς ῥεῖθρον ἠπείρων ὅρον* Bosporum Cimmerium Asiae et Europae terminum intellegi non posse collegerunt. At quis Herodotum, qui hoc loco obiter refert, qui termini inter Asiam et Europam constituti sint, eam sententiam respexisse putauerit, quae, cum in plane peruersa de Phaside opinione niteretur, longa explicatione ac refutatione egeret, praesertim cum illa eis adnumerari posset, de quibus Tanais atque Bosporus fines habebantur?

De Phaside autem amne etiam apud alios scriptores multos errores inuenis. Nam Hesiodum et Hecataeum, qui Argonautas per Phasim in Oceanum nauigasse tradiderint[2]), uides putasse flumen illud multo maius fuisse et cum Oceano cohaesisse. Alii uero poetae Argonautas per Tanaim in Oceanum uenientes faciunt[3]), quibuscum consentiunt, qui illum ex

---

1) *Εἰς Φᾶσιν, ἔνθα ναυσὶν ἔσχατος δρόμος* prouerbium fuisse Strabo XI, 2. 16, p. 497 docet.

2) Vide scholia ad Apoll. Rhod. IIII, 259 et 284, de quibus locis Hollanderus in dissertatione „*de Hecataei Milesii descriptione terrae*“ nuper Bonnae edita pag. 19—22 summa cum probabilitate egit.

3) Scholia ad Apoll. Rhod. eisdem locis.

Araxe flumine, quod in mare Caspium Oceani partem profunditur, profluere[1]) dicunt. Atque iam minus inepta duxeris, quae in Argonauticis sub Orphei nomine circumlatis u. 752 leguntur:

ἔνθα δ' Ἀράξεω ῥεῦμα μεγαβρεμέτου ποταμοῖο,
ἐξ οὗ Θερμώδων, Φᾶσις Τάναΐς τε ῥέουσιν.

Nam haec quoque ad Tanaidis et Phasidis confusionem pertinere uidentur. Atque nescio an eadem re explicetur, cur nonnulli Tanaim e Caucaso oriri putarint, quod Strabo XI, 2, 2. p. 493 refert. Quamobrem, etiam si relicuos scriptores spectamus, nihil obstat, quominus Tanaim et Phasim ab Aeschylo confusos esse putemus: immo uero quod multa aeque de hoc atque de illo circumferebantur, haec sententia ualde confirmatur.

Neque minus in Caucasi situ ueteres scriptores multum errauerunt. Nam cum Hecataeus populos in hoc monte habitantes modo inter Europaeos[2]) modo inter Asiaticos[3]) numeret atque Tanaim continentium terminum habuisse uideatur[4]), sequitur hunc amnem *per* Caucasum fluere. Hunc igitur montem pariter atque Aeschylus supra Tanaim extendit. Atque illud quidem a Strabone[5]), hoc uero a multis scriptoribus con-

1) Vide, quae ego de hac re infra pag. 43 sq. disputabo.

2) Fragm. 161 et 162 edit. Muell.

3) Fragm. 186, quocum 185 et 189 compara.

4) Hoc enim eundem Hollanderum l. c. p. 23 recte statuisse puto. Nam quod Colchi in Asia habitare dicuntur [fr. 185 et 189], prohibet, ne de Phaside, Herodoti locus supra [pag. 39] commemoratus, cum tam graues sententias ille silentio praeterire nequiret, ne de Caucaso aut de Hypani confinio cogitemus. Sed quod Hollanderus ipse, ut illas difficultates tolleret, statuit Hecataeum spatium, quod inter Tanaim et Caucasum interesset, breuius duxisse, fragmentis nondum satisfacere puto, quia scriptor de populis, qui Tanaide a Caucaso disiunguntur [„*in occidentali Tanaidis parte*“], *περὶ τὸν Καύκασον* et *παρὰ τὸν Καύκασον* dicere nequit.

5) Strabo II, 4. 6 p. 107 *ὡς δ' αὔτως ἀπέραντος καὶ ὁ διὰ τοῦ Καυκάσου πρὸς ἄρκτον φήσας ῥεῖν, εἶτ' ἐπιστρέφειν εἰς τὴν Μαιῶτιν. εἴρηται γὰρ καὶ τοῦτο.*

firmatur. Caucasii enim montes et cum Tauro cohaerere et in septentriones usque ad Oceanum Rhipaeosque pertinere putabantur. Sic Pomponius Mela I, 19 dicit: „*Hinc [in angulo Ponti Euxini] orti montes longo se iugo et donec Rhipaeis coniungantur exporrigunt, qui altera parte in Euxinum et Maeotida et Tanaim, altera in Caspium pelagus obuersi Ceraunii dicuntur: iidem alicubi Taurici*[1]*), Moschi, Amazonici, Caspii, Coraxici, Caucasii*“ atque Eustathius ad Dionysium Perieg. u. 663: *νοητέον δὲ νῦν φασι Καύκασον τμῆμά τι τοῦ προειρημένου Ταύρου βορειότατον περὶ τὴν Κρονίαν ἀνῆκον θάλασσαν, οὗ μέρη καὶ τὰ πρὸ τούτων γραφέντα Ῥιπαῖα ὄρη*, et scholiasta ad hunc locum: *Τὸν Καύκασον περὶ τὴν Κρονίαν θάλασσαν ὑποτίθεται καὶ μέρη αὐτοῦ τὰ Ῥιπαῖα βούλεται εἶναι καὶ τὸν Καύκασον τμῆμα εἶναι τοῦ Ταύρου*, ita ut eiusdem opinionis testes etiam ei sint, qui Tanaim e Caucaso oriri tradunt. Quod a Dionysio Perieg. u. 663, Auieno u. 861, Ammiano XXII, 87, aliis affirmatur. Ex quibus omnibus apparet uel posteriores scriptores Caucasum putasse supra Tanaim porrigi, cuius erroris caussa non difficilis est intellectu. Nam cum antiquioribus temporibus in terris ad orientem spectantibus unus[2]) Caucasus mons notus fuerit, mirum non est Athenienses tunc et, quae a mercatoribus de Uralio monte tradebantur, ad illum rettulisse et Tauricos montes putasse cum Caucaso cohaerere. Hic uero tum locum mutaret erat necesse. *Vidimus igitur Aeschyli de Caucasi situ sententiam, quam e Prometheo uincto eruimus, non modo aliis eius et relicuorum scriptorum locis ita comprobari, ut omnes artificiosiores interpretationes mutationesque cum ipso poeta pugnent, sed etiam, quomodo orta sit, facillime posse explicari.*

His uero constitutis iam de Araxe flumine rectius iudi-

1) Nemo autem Tauricos montes Caucasi partes ducere potest, quin de hoc iugo fere eandem habeat opinionem atque Aeschylus aut Hecataeus.

2) Herodotus [IIII, 24 et 25] primus Uralios montes commemorat, nomen autem ignorat.

cabimus. Etenim hunc amnem in lacuna illa, quam post uersum 717 statuimus, nominatum esse ut confirmem, Pomponi Melae caput quintum libri III afferam: „*Araxes Tauri latere demissus — cum in asperiora deuenit, hinc atque illinc rupibus pressus et quanto angustior, tanto magis pernix frangit se subinde ad opposita cautium: atque ob id ingenti cum murmure sonansque deuoluitur adeo citus, ut, qua ex praecipiti in subiecta casurus est, non declinet statim undam, sed ultra quam canalem habet, euehat plus iugeris spatio sublimis et aquis pendentibus ipse sine alueo ferens*“. Attamen haec descriptio in placidum Armeniae Araxem non conuenit.

Quod uero flumen hoc loco Araxis nomine significatur? Alii interpretes de Tanaide, alii de Hypani Asiatico cogitarunt, Hermannus deinde Borysthenem et Hypanim ab Aeschylo confusos esse statuit, alii denique totum hoc flumen a poeta confictum esse censuerunt. Atque hoc quidem uerum est tale flumen, quale Aeschylus describit, omnino non exstare. Nam Hypanis, qui sane in septentrionali Caucasi parte nascitur, primum haud quaquam magnus ac uiolentus fluuius est; deinde, cum ne ab Herodoto quidem commemoretur, maxime dubium est, num Aeschylus eius notitiam habuerit; denique nullo modo Io, ut Aeschylus dicit, prius ad Hypanim uenire potuit, quam Bosporum Cimmerium superauit. Quamuis igitur tota descriptio in nullum flumen conueniat, tamen, cum illis temporibus, quibus mythi credebantur, poetae, nisi uulgarem geographiam sequerentur, sibi ipsi fidem abrogassent, confitendum est Aeschylum nihil temere finxisse, sed tantum ea, quae de ueris fluminibus relata erant, falso accepisse. Sed, si quidem Caucasum a poeta supra Maeotim esse positum uere statuimus, hoc loco cogitari non potest nisi de fluuio, qui ab illa in septentriones uersus iaceat neque in eam se effundat. Iam uero in praefatione ostendi mercatores, postquam Tauricam paeninsulam, Maeotim, Tanaim praeterierint, Rha flumen accessisse neque tamen hoc statim superasse, sed eius cursum, qui ab eoo in brumalem regionem conuersus est, diu secutos

ad Norossum summos montes[1]) peruenisse. Quae si Aeschylus audiebat atque montes, ad quos mercatores ueniebant, Caucasum ducebat, id quod supra docui, nonne eum de illis regionibus hanc imaginem animo fingere oportebat, quam in eius uerbis inesse uidimus? Si igitur poetam Rha amnem Araxem appellasse statuimus, omnia quadrant. Flumen illud magnum et uiolentum est eiusque cursus ab regione inter occasum brumalem et meridiem spectante in Aquilonem conuersus est neque in Maeotim, sed in mare Caspium, quod Oceani pars antiquitus habebatur, effunditur. Rectissime autem Io aeque ac mercatores illud non, cum primum ad id appropinquat, transgreditur, sed eius cursum diu secuta ad summos montes uenit.

Iam uero mihi demonstrandum est alios quoque scriptores Rha flumen Araxem nominasse falsasque opiniones de eo rettulisse. Nam Araxem Massageticum, quem hoc loco ab Aeschylo significari Eustathius dicit[2]), interpretes Herodoti ad libri I, cap. 202 Oxum esse certis argumentis probauerunt: multa tamen, quae de Armenio Araxe referebantur, ab illo in Oxum translata sunt. Sed quod idem IIII, 11 Scythas a Massagetis trans Araxem pulsos in Ponticas terras uenisse narrat, eum de fluuio cogitasse a mari Caspio in septentriones uersus sito docet. Atque item, quae de tot ostiis Araxis I, 202 tradit, in nullum aliud flumen Caspiacum cadunt, quam in Rha. Sed multo certius Wolga Araxis nomine significatum esse inde intellegis, quod et Aristoteles Meteor. I, 13, ubi e Parnasso Bactrum, Choaspem, Araxem fluere refert, dicit: τούτου δ' ὁ Τάναϊς ἀποσχίζεται μέρος ὢν εἰς τὴν Μαιῶτιν λίμνην, et Scymnus Chius u. 868 εἰς ἣν ὁ Τάναϊς ἀπὸ τοῦ ποταμοῦ λαβὼν ῥεῦμ' Ἀράξεως ἐπισμίγεθ', ὡς Ἑκαταῖος εἴφ' οὑρετριεύς[3])· ὡς δ' Ἔφορος ἱστόρηκεν ἐκ λίμνης τινός. Nam haec de Araxe Armenio

1) Herod. IIII, 25 οὔρεά τε γὰρ ὑψηλὰ ἀποτάμνει ἄβατα.

2) Vide pag. 27.

3) Codices praebent ὡς ἑκατέως ἐφοτιεις. Cum nomen Hecataei sine dubio recte restitutum sit, nostrum non est diiudicare, qui Hecataeus hoc loco significetur.

uel Massagetico plane inepta sunt, de Wolga autem amne, cum is tam prope ad Tanaim accedat, ut ambo unus fluuius facillime haberi potuerint, talis nuntius admirationem non habet. Quodsi haec fuit ueterum opinio, explicatur, cur Argonautas per Tanaim in Oceanum uenisse putarint. Caspium enim mare Oceani sinum antiquissimis temporibus habitum esse constat. Atque cum idem de Phaside relatum esse, Aeschylum autem hunc cum Tanaide confudisse demonstrauerimus, uides, cur supra statuerim Orpheum suppositum, cum utrumque amnem ex Araxe profluere narret, fortasse antiquo fonte niti. Grauissimus uero testis Rha antiquissimis temporibus cum Araxe confusum esse Pomponius Mela libro III, c. 5 esset, nisi aperta corruptela in hoc loco inesset. Nam in eius uerbis: „*Sed qui famam habent, ex Cerauniis montibus uno alueo descendit, duobus exit in Caspium Araxes Tauri latere demissus cet.*“ unius fluminis nomen sine dubio intercidit atque, quod ad sensum attinet, aptissime Pintianus „*Rha*“ uocem ante „*Araxes*“ interposuit. Sed nescio an Pomponius scripserit „*Araxes. Alter Araxes*“. Nam sic non modo corruptela multo facilius oriri potuit, sed etiam explicatur, cur scriptor et descriptionem Rha fluminis in Armeniam Araxem falso transtulerit neque certum in fluuiis enumerandis ordinem seruarit. Sed haec res quocunque modo se habet, illud puto satis esse demonstratum Wolga antiquissimis temporibus cum Araxe confusum esse atque de eius cursu falsas opiniones multas esse circumlatas.

Quamuis igitur multos magnosque errores apud Aeschylum inueniamus, tamen, cum ei et ipsius et aliorum scriptorum testimoniis confirmentur atque, quomodo Aeschylus in hos errores incidere potuerit, facile explicetur, neque eos quouis modo remouere licet neque statuere poetam orbis terrarum imaginem temere finxisse: itemque uidimus, quam sententiam de loco, in quo Prometheus uinctus sit, priore capite ex sola Prometheo uincto hausimus, ei non modo nihil obstare, sed potius multis rebus eam confirmari.

Caput III.

Nihil igitur restat, nisi ut tertio loco quaeramus, *quae argumenta externa contra hanc sententiam allata sint atque quae pro ea sint dicenda.* Nam ut in praefatione iam dixi, nonnulli uiri docti, praesertim Welckerus, propter externas quasdam caussas statuunt necesse esse Prometheus in Caucaso uinctus sit. Quae sententia si uera esset, omnis argumentatio nostra corrueret; sed postquam multos fabulae locos uel potius totam fabulam illi repugnare supra uidimus, nunc illa argumenta fallacia esse demonstrare studebo. Sic enim Welckerus, cuius argumenta relicui, qui eandem sententiam secuti sunt, nouis fere additis nullis iterauerunt, ratiocinatus est: „Cum in Prometheo soluto Iapeti filium in Caucaso affixum esse constet, alteram eiusdem trilogiae fabulam alio loco agi probabile non est, quod spectatores putare oportebat Titanem cum saxo in Tartarum deiici, cumque eodem ad lucem efferri: neque uinctionem sine caussa repetitam esse statuere licet.“ Sed in unius trilogiae fabulis scaenam mutari cum multae aliae trilogiae Aeschyli tum ipsa Promethia docet, qualem Welckerus statuit. Prometheus enim ignifer Lemni agitur. Cum uero saxum, in quo Prometheus pendet, destruatur atque in Tartarum deiiciatur [u. 1016 sq.], nihil nos cogit, ut id eodem loco, quo demersum est, ad lucem reuersurum esse putemus.

1) In Aeschyl. Tril. p. 32: suamque sententiam contra Hermannum defendit in appendice pagg. 59—62. Cuius ratio ab Reingano p. 329 et a Klausenio p. 298 repetita est. Quae uero illi noui attulerunt, ea suo loco respiciam.

Nam rupes non per ipsam terram, quod profecto optimo iure Welckerus negat, sed sub terra, id est in Orco, facillime in alium locum uenire potuit. Sed omnino puto spectatores, si quidem eis alia regio Scythica repraesentata erat, non multum deliberasse, quomodo Prometheus in hanc regionem uenisset. At id ipsum, diuersas Scythiae regiones scaena ita exprimi potuisse, ut ei, qui spectarent, quo altera ab altera differret, diiudicare possent, Welckerus negat. Sed si Aeschylus indicare uoluit fabulam alio loco agi, hoc tam facile fieri potuit, ut inde nullum argumentum contra sententiam nostram duci possit. Velut ut unum afferam, si mare, quod in Prometheo uincto uisum esse supra demonstrauimus, omittebatur, unusquisque plane aliam regionem esse intellexit.

„At Aeschylum putare non possumus sine caussa uulgari mytho neglecto Prometheum diuersis in locis affixum fecisse: sic enim posteriore fabula priorem quasi negasset." Sed primum in ea ipsa re a uulgari mytho recessit, quod Prometheum in Orcum deiici statuit, quod a nullo alio scriptore narratur. Tempori igitur, antequam ille in Orcum descendit, e uulgari mytho uinctionis locus omnino non erat. Deinde uero ne uerum quidem est omnes scriptores tradidisse Prometheum in Caucaso uinctum fuisse: nonnullos enim eum ad Oceanum posuisse infra docebo. Quomodo uero, si fabulae in diversis locis aguntur, posterior priorem quasi neget, non intellego. Attamen libenter concedo, si Aeschylus caussam non habuisset, cur alium locum eligeret, magis consentaneum fuisse eundem seruari. Necessarium tamen non fuit: neque, si nos rationem loci mutandi perspicere non possemus, eo efficeretur nullam poetae fuisse. Nam e duabus relicuis Promethiae tragoediis tam pauca fragmenta nobis seruata sunt, ut certum iudicium neque de tota compositione neque de singulis quaestionibus nobis sit. Sed tantum abest, ut, cur fabulae diuersis locis agantur, nulla ratio exstet, ut duae caussae grauissimae illud paene requirere mihi uideantur. Etenim poeta cum Prometheum longum temporis spatium in Orco

fuisse finxisset, quomodo facilius et planius spectatoribus alio illum tempore aliaque occasione saxo esse alligatum indicare potuit, quam ita ut aliam regionem eis ante oculos poneret? Deinde si Prometheus in utraque fabula in Caucaso esset, Hercules, qui in uniuersum eandem uiam quam Io, sed e contraria parte facit, easdem atque illa gentes attingeret; haec autem repetitio molestissima fuisset. Iam uero in fragmentis Promethei soluti ἱππάκης βρωτῆρες εὔνομοι Σκύθαι (fragm. 192) atque Gabii uel Abii (fragm. 190) nominantur, ad quos Hercules, si quidem eorum sedes supra (pag. 32 sq. adn. 1) recte constitui, a Caucaso in occidentem uersus secundum Ponti Euxini litus proficiscens uenit. Vt igitur Io per feroces populos in orientem uersus secundum Oceani litus migrat, sic Hercules per modestas gentes in occidentem uersus Ponti oram sequitur. Itaque uel ex his paucis fragmentis tragoedias diuersis locis agi colligere possumus. Quod uero Hermannus censet, cum Caucasum esse scaenam poeta in Prometheo uincto nusquam [1]), in soluto primis statim uersibus dicat, Prometheum in hoc monte uinctum esse putari non posse, id quamquam probabilitatis speciem prae se fert, facile tamen in contrariam partem accipi potest. Nam eodem iure Welckerus argumentatur Scythiae nomen tam incertum fuisse, ut poetam, si alio loco, atque eo, quo uulgo ferebatur, Prometheum affixum fecisset, scaenam accuratius significare oporteret. Sed sine dubio in Prometheo ignifero Iuppiter tum, cum Vulcano imperabat, ut Prometheum uinciret, montem nomine appellauit. Quamobrem inde, quod Aeschylus in Prometheo uincto nomen silentio praetermittit, nihil efficitur.

Quod autem Welckerus addit neminem, qui de Scythis Nomadibus solitudinibusque audiret, de Oceano cogitare potuisse neque alium Scythiae montem notum fuisse quam Caucasum, in utroque errat. Prius enim iam secundo capite refutaui: quod uero ad alterum attinet, in Scythia Rhipaei quoque mon-

1) Klausenius quidem p. 330 uerbum πέλας explicat *in nostra uicinitate:* haec tamen interpretatio digna non est, quae refutetur.

tes fabulis celeberrimi iacebant[1]). Deinde quoniam supra uidimus saxa, ad quae Prometheus alligatus est, haud quaquam alta esse, ne opus quidem est de certo quodam et notiore iugo cogitare; colles enim minores in omnibus fere regionibus inueniuntur, praesertim uero in ora maritima. Nec minus hac ratiocinatione fundamentum sententiae Meyeri destruitur, qui, cum Scythicos montes et Caucasum idem ualuisse sibi persuasisset, utramque de scaena sententiam ita inter se reconciliare studuit, ut Aeschylum statueret item atque recentiores scriptores a me pag. 41 commemoratos putasse Caucasios montes usque ad Oceanum pertinere: Prometheum igitur in septentrionali huius iugi parte prope ab Oceano uinctum esse, uersu autem 719 Caucasum proprie sic dictum i. e. Ponticum significari. Omnino non multum interest, utrum Aeschylus, si Prometheum in montibus prope ab Oceano sitis uinctum fecit, hos quoque Caucasum nominarit necne. Sed ne probabilis quidem Meyeri sententia est. Nam si Caucasum *adeo* esse extensum iam Aeschyli aetate putassent, multum admirationis haberet, quod neque Herodotus neque Strabo neque alius quisquam priorum geographorum hanc opinionem usquam respexit. Deinde uero Aeschylus, si Caucasos septentrionalem et Ponticum discreuisset, hoc uno uerbo cum in uersu 411 tum in uersu 719[2]) indicaret necesse erat.

Nullum tamen pondus ei argumento attribuerim, quod Schuetzius primo loco posuit, id est alteri fabulae hypothesi, quam codex Mediceus ita exhibet: *Ἰστέον δέ, ὅτι οὐ κατὰ τὸν κοινὸν λόγον ἐν Καυκάσῳ φησὶ δεδέσθαι τὸν Προμηθέα, ἀλλὰ πρὸς τοῖς Εὐρωπαίοις τέρμασι τοῦ Ὠκεανοῦ.* Nam non modo

---

1) Vt unum locum afferam, Hippocrates [I, pag. 567 ed. Kühn.] de Scythia dicit: *κεῖται γὰρ ὑπ' αὐταῖς ταῖς ἄρκτοις καὶ τοῖς ὄρεσιν τοῖς Ῥιπαίοισιν, ὅθεν ὁ Βορέης πνέει.* Atque Aeschylus ipse, qui secundum antiquiorem opinionem uulgarem Scythiam per totam regionem septentrionalem pertinere putauit [confer pag. 31], Rhipaeos montes fragm. 191 commemorat.

2) Vide, quae de hoc uersu pag. 16 sq. disputauimus.

e uerbis ὡς ἀπὸ τῶν πρὸς Ἕω λεγομένων ἔξεστι συμβάλλειν intellegis eam nihil aliud nobis praebere nisi conclusionem docti cuiusdam grammatici, cui non alii atque nobis fontes patuerint, uerum etiam uerba ipsa corrupta mihi esse uidentur. Etenim quomodo tam incertae loci descriptioni, quam uerbis πρὸς τοῖς Εὐρωπαίοις τέρμασι [1]) τοῦ Ὠκεανοῦ contineri uides articulus τοῖς addi potest? Deinde haec uerba πρὸς τοῖς Εὐρωπαίοις τέρμασι τοῦ Ὠκεανοῦ non habent, cui opponantur, cum non modo de Oceani litore nondum in eis, quae antecedunt, dictum sit, sed etiam Caucasus ipse de Aeschyli sententia in Europa iaceat. Quamobrem uocem Εὐρωπαίοις corruptam habeo atque ἐν Ῥιπαίοις πρὸς τοῖς τέρμασι τοῦ Ὠκεανοῦ legendum esse puto. Sic uerba ἐν Καυκάσῳ iustam habent oppositionem atque quae adduntur πρὸς τοῖς τέρμασι τοῦ Ὠκεανοῦ locum accuratius describunt. Quam coniecturam Eustathius egregie confirmare mihi uidetur, qui ad Dionysium Perieg. u. 663 haec adnotat: νοητέον δὲ νῦν φασι Καύκασον τμῆμά τι τοῦ προειρημένου Ταύρου βορειότατον περὶ τὴν Κρονίαν ἀνῆκον θάλασσαν, οὗ μέρη καὶ πρὸ τούτων γραφέντα Ῥιπαῖα ὄρη, τὸν δὲ τοῦτον Καύκασον, περὶ ὃν καὶ ὁ τοῦ Προμηθέως πλάττεται ἀνασκολοπισμός [2]). Nam quamquam Aeschylus non est nominatus, tamen illum hoc loco ab Eustathio respici persuasum mihi est, cum haec sententia plane cum eis congruat, quae nosmet ipsi ex Aeschyli uerbis conclusimus. Neque minus scholiasta ad Apoll. Rhod. IIII, 1396 Prometheum in Oceani litore uinctum esse putat, cum dicat: κατέβη ἐπὶ

---

1) Quae enim caussa fuerit, cur omnes fere editores deteriorum codicum lectionem μέρεσι pro τέρμασι reciperent, non intellego, cum in Oceani partibus Prometheum uinctum fuisse nemo sana mente dicere possit Immo uero πρὸς τέρμασι τοῦ Ὠκεανοῦ i. e. *„in finibus, quos Oceanus facit“*, sine dubio a diligenti scholiasta posita sunt, qui uersum 117 ἵκετο τερμόνιον ἐπὶ πάγον respexit.

2) Hunc locum, qui si ullus alius pro Meyeri sententia pag. 48 exposita pugnat, ab illo omissum esse maxime miror. Sed Eustathium posteriorem opinionem in Aeschylum transtulisse arbitror.

τὴν θάλασσαν τὴν ἔξω κειμένην καὶ λαβὼν χρυσοῦν δέπας παρὰ Ἡλίου διαβαίνει ἐν αὐτῷ εἰς Πέργην διά τε τῆς ἔξω τῆς γῆς θαλάσσης καὶ διὰ τοῦ Ὠκεανοῦ πλέων. Ἐπελθὼν παρὰ Προμηθέα.

Itaque uidemus non modo tum ueteres grammaticos Aeschylum ita accepisse, ut Prometheum in septentrionali Oceani litore uinctum esse putarent, sed etiam alios scriptores Aeschylum secutos idem tradidisse.

FORMIS CARTHAVSIANIS